SIGISMUNDI STORCHENAU,

IN

ACADEMIA VINDOBONENSI

LOGIC. ET METAPH.

PROFESSORIS PUB. ORD.

INSTITUTIONES LOGICÆ.

EDITIO ALTERA

AB AUCTORE EMENDATA.

VENETIIS,

APUD FRANCISCUM PITTERI.

MDCCLXXIV.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVIL.

CONSPECTUS
TOTIUS OPERIS.

Prolegomenon in Philoſophiam Pag. 1
Prolegomenon in Logicam. 47

PARS I.

De Facultate Cognoſcitiva Mentis Humanæ.

Caput I. *De Ideis, earumque Objectis.* 51
Caput II. *De Formali Idearum Differentia.* 53
Caput III. *De Materiali Idearum Differentia.* 56
Caput IV. *De Idearum Signis.* 67
Caput V. *De Vocabulorum Uſu, Abuſu, ejuſque Remediis.* 73
Caput VI. *De Definitione.* 83
Caput VII. *De Diviſione.* 94
Caput VIII. *De Judicio.* 97
Caput IX. *De Enunciatione, & ejuſdem Variis Speciebus.* 100
Caput X. *De Diverſis Enunciationum Proprietatibus.* 104
Caput XI. *De Enunciationibus in Methodo Scientifica Uſitatis.* 111
Caput XII. *De Ratiocinatione.* 114
Caput XIII. *De Argumentatione, & Nomi-*

natim de Syllogiſmo Simplici. 121
Caput XIV. De Syllogiſmo Compoſito. 130
Caput XV. De Reliquis Argumentandi Speciebus. 133

PARS II.

De Veritate Cognoſcenda.


Caput I. De Veritate, ac Falſitate in Genere, earumque diverſis Speciebus. 142
Caput II. De Veritate Idearum, Judiciorum, ac Ratiociniorum. 146
Caput III. De Indiciis Veritatis, Certitudine, & Evidentia. 157
Caput IV. De Senſu Intimo, & Senſu Naturæ Communi. 167
Caput V. De Teſtimonio Senſuum Externorum. 182
Caput VI. De Auctoritate. 195

PARS III.

De Cognitione Veritatis.

Caput I. De Scientia, ejuſque Diverſis Speciebus. 201
Caput II. De Probatione, & Demonſtratione. 207
Caput III. De Probabilitate, & Opinione. 219
Caput IV. De Fide. 239
Caput V. De Interpretatione, & Lectione Librorum. 251
Caput VI. De Ignorantia, ejuſque Cauſſis. 265
Caput VII. De Errore, ejuſque Fontibus. 272
Caput VIII. De Concertatione Litteraria. 290

PRO-



PROLEGOMENON

IN

PHILOSOPHIAM.

§. I.

PHiloſophiam ſapientiæ ſtudium; ſapientiam vero ex mente veterum rerum divinarum, & humanarum, cauſſarumque, quibus hæ res continentur, ſcientiam eſſe ex Tullio novimus. Veteres igitur ad philoſophiam retulerunt omnia ea, quæ ſive de Deo, ſive de ſpiritibus, ſive de mundo corporeo & rationis ductu, & ſenſuum experientia cognoſci poſſunt: quæ opinio a veritate profecto aliena non eſt; etſi, qui hodie obtinuit mos, eidem haud ſuffragetur. Noſtro nimirum hoc tempore naturales ſcientias ob ampliſſima, quibus jam auctæ ſunt, incrementa ita partimur, ut ſub philoſophiæ ambitu duntaxat logica, metaphyſica, matheſis, phyſica, atque ethica contineantur, reliquis in diverſas iterum claſſes diſtributis. Origo nominis ſi quæritur, ea modeſto Pythagoræ reſponſo debetur; „ omnes enim, qui in rerum contemplatione „ ſtu-

Quid Philoſophia?

De off. l. 2. c. 2.

Cic. qq. Tuſc. l. 5. c. 3.

„ ſtudia ponebant, ſapientes, σοφοι, & habe„ bantur, & nominabantur: idque eorum no„ men uſque ad Pythagoræ manavit ætatem; „ quem, ut ſcribit auditor Platonis Ponticus „ Heraclitus, vir doctus imprimis, Phliuntem „ ferunt veniſſe, eumque cum Leonte Prin„ cipe Phliaſiorum docte, & copioſe diſſe„ ruiſſe quædam: cujus ingenium, & elo„ quentiam cum admiratus eſſet Leon, quæ„ ſiviſſe ex eo, qua maxime arte confideret; „ at illum: artem quidem ſe ſcire nullam, „ ſed eſſe φιλοσοφον. „ Scientia porro ipſa varias omnino ab orbe condito viciſſitudines experta eſt, ut enim certum eſt eam in primo generis humani parente fuiſſe cumulatam admodum, atque perfectam, cum ipſe eum Auctor ſupremus inſigni exornaverit ſapientia, ut Eccleſiaſticus teſtatum fecit: ita dubitari vix poteſt, eam labente tempore, & ſuccreſcentibus inter homines vitiis ita concidiſſe, ut pauciſſimi numerarentur, qui ad eam aut condiſcendam, aut excolendam operam conferrent aliquam.

c. 17. v. 5. 6.

Quæ philoſophia Chaldæorum?

II. Non ita tamen pulcherrimum hocce ſapientiæ ſtudium ex orbe exſulavit, ut non quavis ætate diverſis in nationibus fuerint nonnulli, qui eruditionis magis conſpicuæ famam adepti fuiſſent. Ut de antiquis Hebræorum Patriarchis taceam, prima omnium gentium, in qua philoſophicæ diſciplinæ ſenſim effloreſcere cœperunt, quantum quidem ex veterum monumentis colligi poteſt, fuit Chaldæa Babyloniæ pars, cujus incolæ Chaſdim, ſeu Chuſdim a Chuſo Chami filio compellati fuerunt; etſi enim Ægyptii hanc ſibi gloriam olim vindicare conabantur, contendentes, Chaldæos ex colonia Ægyptiaca prognatos eſſe, inter eruditos tamen, ut vult Stanlejus, jam fere certum eſt, Perſarum Magos, qui omnem ſuam eruditionem a Chal-

dæis

dæis mutuati ſunt, ipſis Ægyptiis longe antiquiores eſſe; neque alia fuit ipſius Tullii mens Chaldæos antiquiſſimum doctorum genus compellantis. Viri præ reliquis inter Chaldæos celebres fuerunt Zoroaſter, qui ex mente S. Epiphanii Nimrodi ætate floruit. Belus rex auctor, ut fertur, aſtronomiæ circa annum mundi 2682. cujus manibus a ſuperſtitioſo populo in Deorum numerum relatis Semiramis ejus filia templum media in Babylone exſtruxit, quod non minus ab arte, & ſplendore inclaruit, quam ex eo, quod ſuprema ejuſdem pars Chaldæis, Magiſque aptiſſimum ad contemplandos ſiderum curſus præberet locum: Beroſus denique, qui ab hiſtoria, quam, Ptolomæo Philadelpho imperium tenente, in lucem emiſit, illuſtre ſibi nomen comparavit, quique primus Chaldaicas diſciplinas in Græciam intulit, ſtatua propterea auro obducta ab Athenienſibus honoratus, ut Plinius refert. Præcipuus Chaldæorum in excolenda aſtronomia erat labor, quæ tamen brevi in aſtrologiam, aliaſque turpiſſimas ſuperſtitiones degeneravit, unde factum eſt, ut omnem fere eruditionem ſuam ad vanas divinationes, ſomniorum interpretationes, arteſque magicas referrent. Hujus porro eruditionis partes in diverſas familias erant diſtributæ (nec dum enim publice docendi mos obtinuerat), atque ipſum familiæ caput in id curam intendit, ut ſcientia ſua ad nepotes, ac poſteros propagaretur, atque augeretur etiam. Quæ ejuſmodi erant familiæ, propriam ſibi in provincia ſedem deligebant, immunitateque a publicis oneribus, ac vectigalibus gaudebant.

De divin. l. 1.

l. 7. §. 37.

III. Philoſophia Chaldæorum per finitimam brevi Arabiam, Perſiamque propagata eſt; in hac rurſum Zoroaſter quidam (nomen hoc viris magna eruditione conſpicuis videtur id

Quæ Perſarum?

temporis fuiſſe commune) memorandus eſt, qui religionem meliorem in formam redigendo, ac populares ſuos erudiendo effecit, ut major litteris honos haberetur, quarum deinde cultores uſitato inter Perſas nomine Magi appellati ſunt: tum Hyſtaſpes, & Oſtanes, qui Perſicas ſcientias in Græciam primus invexit.

Quæ Arabum?

In Arabia, ea præcipue, quæ Sabæa dicitur, parte quis prior litteris operam dederit, inter eruditos adhuc diſceptatur; complures tamen fuiſſe ſcientiæ naturalis, & aſtronomiæ peritos vel ex Jobi, amicorumque diſputationibus patet.

Quæ Indorum?

IV. Sed neque aliis tum quidem notis gentibus viri a doctrina illuſtres defuerunt: celebratur in India Buddas cum Gymnoſophiſtis; in Sinis Fohi gentis conditor; tum Confucius; in Malabarica Bramines; in Mauritania Atlas; in Britannia, Gallia, Germania Druidæ; in Thracia Orpheus, & Zamolxis; in Scythia Anacharſis, qui ipſis Græciæ ſapientibus adnumeratus eſt.

Quæ Phœnicum?

In Phœnicia Pherecydes Pythagoræ magiſter; Mochus, vel Moſchus, aut etiam Ochus doctrinæ de atomis, ut Strabo opinatur, auctor; Sanchoniaton Berytius, qui ante Trojana tempora floruiſſe fertur; Cadmus denique dux Coloniæ in Græciam deductæ, ex qua ſubinde celeberrimus ille inter Græcos philoſophus Thales Mileſius ortus eſt. Horum ſapientium ſtudio, tum & characterum, ac nauticæ inventione Phœniciæ gentis gloria plurimum crevit; illam Lucanus (*a*) eidem attribuit: hanc Rapinus (*b*): „ aſtronomiam primum a Phœnicibus navigationi fuiſſe accomodatam, „ ſtellamque polarem viæ ducem delectam, „ quod omnes deinceps gentes adoptarunt. „

(*a*) *L. 3.*

(*b*) *Comp. Plat. & Ariſt.*

Quæ Ægyptiorum?

Prætereunda non eſt hoc loco Ægyptus, mater artium nuncupata, in qua derivatæ ex Phœnicia liberales artes, ac mathematicæ diſci-

Macrob. ſomn. Scip. l. 1. c. 15.

ſci,

ſciplinæ maxima obtinuerunt incrementa; ac geometria quidem cumprimis, cujus excolendæ neceſſitatem propemodum Ægyptiis impoſuerunt annuæ Nili exundationes, & quæ inde conſecutæ ſunt, limitum, agrorumque confuſiones. Præcipuum philoſophiæ Ægyptiacæ lumen fuit Athotis, ſive Hermes, vel Mercurius, qui populares ſuos geometriam, aſtrologiam, ac theologiam docuiſſe fertur: ejus doctrinam in Sacerdotibus, Prophetis, & Magis aliquamdiu conſervatam, demum vero collapſam reſtituit Siphoas, alter Mercurius dictus, qui Triſmegiſti quoque cognomentum tulit. Moyſes ipſe Hebræi populi dux, curante Pharaonis filia, eruditus eſt omni ſapientia Ægyptiorum, quæ ab ipſo in ſubjectum ſibi populum facili negotio promanavit, quamque aliquo poſt tempore Salomon rex divino munere inter mortales ſapientiſſimus mirum in modum provexit.

vid. Lenglet Meth. pour étud. l'hiſt. t. 2. p. 37. & 55. Act. c. 7. v. 22

Quæ Græcorum?

V. Naſcentem fere tantum adhuc ſpectavimus philoſophiam; adoleſcentem jam, ac latius in dies ſe ſe in Græcia explicantem conſideremus. Occurrunt primum hic illi, qui ob inſignis eruditionis famam, communi quaſi ſuffragio, ſpecioſo Sapientium titulo condecorati ſunt, quod anno tertio Olymp. 49na, qui eſt annus ante Servatorem 580. contigiſſe Laertius cum Plutarcho teſtatur. Septem, quibus id honoris obtigit, exſtiterunt: Thales Mileſius, Solon Athenienſis, Chilon Lacædemonius, Pittacus Mitylenæus, Bias Prienæus, Cleobulus Lindius, & Periander Corinthiorum tyrannus; verum poſtremi duo non merito, ſed aſtu, ac vi etiam aperta, decoram hanc nomenclationem ſibi arrogarunt, ac deinceps uſurparunt, convocatis ad ſe reliquis, nec reſiſtere tum quidem auſis, qui tamen, ubi libertati priſtinæ ſunt reſtituti, A-

Qui in iis ſapientes?

pollini Delphico litteram ε (quæ Græcis quinarium indicat) dicarunt, hoc facto conteſtati in ſuo ſapientium ordine non contineri, niſi quinque. Nonnulli his præterea adjiciunt Anacharſin Scytharum regis fratrem, Myſonem Chenæum, Epimenidem Cretenſem, ac Pherecydem ex Cycladum inſula Syro oriundum. Porro ſapientes hi politicam potiſſimum philoſophiæ partem excoluerunt, condendis nempe ſapientiſſimis legibus, ſtabiliendis rebus publicis, & informandis hominum moribus unice intenti; ſolus Thales ad geometriam quoque, in qua complura theoremata invenit; aſtronomiam, in qua eclypſium cauſſam, ac modum eas præſagiendi detexit, & demum ad naturam corporum perſcrutandam animum convertit, alioſque inſtituere cœpit: quo ſuo conatu id effecit, ut ingens philoſophandi amor, diſputandique de rebus obſcuris fervor in popularibus ſuis accenderetur. Atque inde factum eſt, ut novelli hi philoſophi pro diverſis, quas tuebantur, ſententiis in diverſas quoque partes abirent, ac varias ſectas (collectionem hominum uni magiſtro adhærentium intelligo) conſtituerent, quæ jam breviter referendæ ſunt.

Quæ ſectarum origo? Quæ diviſio?

VI. Celebriores Græcorum philoſophorum ſectæ ad duas, ex quibus veluti fontibus reliquæ profluxerunt, præeunte Laertio referri poſſunt. Prima harum eſt Jonica, quæ Thaletem: altera Italica, quæ Pythagoram fundatorem veneratur.

Quis Thales? Herod. Clius p. 45.

VII. Thales Mileto Joniæ urbe oriundus, poſtquam ob ingentem doctrinæ famam, quam ſibi diuturna per Aſiam, Phœniciam, Ægyptum, & Cretam peregrinatione, & arctiori cum eorumdem locorum eruditiſſimis, ac præcipue ſacerdotibus conſuetudine comparavit, ſapientis, ut dictum eſt, compellationem obtinuit anno ætatis ſuæ 59, ludum aperuit, hau-

hauſtamque ſcientiam cum aliis communicare aggreſſus eſt. Orta inde ſecta, quæ Jonicæ nomen tulit. Inter diſcipulos præ reliquis eminuit Anaximander Mileti quoque natus, qui eidem demortuo in regenda ſchola ſucceſſit, ejuſque doctrinam, licet in Phyſicis non nihil immutatam propagavit. Anaximandrum excepit Anaximenes; hunc Anaxagoras Clazomenius τησόμοιομερίας ſubinde a Lucretio decantatæ auctor; clarus is erat genere, & opibus; at earumdem contemtu multo clarior, agros enim, & patrimonium reliquit „ diſcendi, quærendique cauſſa, divinæ obſervationi toto ſe animo ut dederet: " hunc denique Archelaus *Phyſicus* dictus, quod primus phyſicam ex Jonia Athenas invexerit. In hoc Jonica ſecta, ac naturalis ſimul philoſophia deſiit.

Quæ ſecta Ionica? *Cic. qq. ac. l. 4.* *Cic. qq. tuſc. l. 5.* *Cic. l. c.*

VIII. Socrates enim ejus diſcipulus, ac ſucceſſor neglecta phyſica totum ſe ad moralem doctrinam expoliendam, ac in ordinem redigendam applicuit. „ Primus a rebus occultis, „ & ab ipſa natura involutis, in quibus omnes ante eum philoſophi occupati fuerunt, „ avocavit philoſophiam, & ad vitam communem adduxit, ut de virtutibus, & vitiis, omninoque de bonis rebus, & malis quæreret „ præclariſſima prorſus præcepta ſtatuens homini, vel ſecundum ſe, vel ut patrifamilias, vel ut membro reipublicæ ſpectato obſervanda; atque hac ratione novam ſectam a ſe Socraticam appellatam fundavit. Erat porro Socrates omnium eruditorum teſtimonio, totiuſque Græciæ judicio „ cum „ prudentia, & acumine, & venuſtate, & „ ſubtilitate, tum vero eloquentia, varietate, copia, quam ſe cumque in partem dediſſet, omnium facile princeps. „ Singularem in docendo æque, ac diſputando tenebat methodum, quærens multa, aſſerens pauca;

Quis Socrates. *Cic. qq. ac. l. 5.* ejuſque ſecta? *Cic. de orat. l. 3.*

frequenter etiam ſe nihil ſcire profeſſus.
Id. qq. ac. l. 5. „ Hic ita diſputat, ut nihil affirmet ipſe, refellat alios, nihil ſe ſcire dicat, „ niſi id ipſum: eoque præſtare ceteris, quod „ illi, quæ neſciant, ſcire ſe putent, ipſe ſe nihil ſcire id unum ſciat. „ At veriſimillimum eſt, id eum non ex animi ſententia feciſſe, verum, ut ſapienter obſervavit Verulamius, „ per ironiam, & ſcientiam diſſimulando ſimulaſſe, renunciando ſcilicet iis, „ quæ manifeſto ſciebat, ut eo modo etiam, „ quæ neſciebat, ſcire putaretur; „ Natus fuit Socrates Athenis anno *4to* Olymp. *77ma*, & quidem ut Stanlejus rationes ſupputat. 30. Maii die Jovis anno ante Chriſtum *467mo*: mortuus anno ætatis 70. completo, hauſto in carcere veneno, ubi prius egregie de animæ humanæ immortalitate, deque futura bonarum mentium beatitate cum diſcipulorum ſuorum fideliſſimis, Platone præcipue, Critone, Simmia, ac Cebete diſſeruiſſet. Id nempe probitatis, doctrinæque ſuæ ab iniquiſſimis judicibus, ad quos variorum criminum cauſſa per invidiam nonnullorum delatus erat, præmii denique retulit. Præcipua accuſationis capita fuerunt: Socratem contemtis Diis popularibus novos introducere, ac juvenes a parentum obſervantia abſtractos ad ſe pellicere. Neque vero difficile fuiſſet Socrati aut accuſationem diluere, aut aliis quoque viis capitis ſententiam declinare, noluit tamen, atque magna animi conſtantia amicis & lytrum, & fugæ occaſionem offerentibus repoſuit: timere mortem haud decere philoſophum; ſat diu ſe in corpore peregrinatum eſſe; cupere jam beatorum ſedes ingredi.

De augm. ſcient. l. 5. c. 2.

Qui Philoſophi Socratici?

IX. Socratis auditorum, qui Socraticorum philoſophorum compellationem ſortiti ſunt, triplex eſt genus: alii, ut Crito, Chære-

phon,

phon, Xenophon, Æſchynes, Simmias, Simo, Cebes, Glauco, & Terpſion doctrinam ejus amplexi, nulli, ceteroquin ſectæ ſe addixerunt; alii præceptis morum egregie ab eo imbuti alia deinceps in republica munia ſuſceperunt, quales fuerunt Critias, Alcibiades, Pericles orator apud Athenienſes celeberrimus; alii denique diverſa ex defuncti magiſtri diſciplina apprehendentes capita in diſſentientes inter ſe familias abierunt, novaſque ſectas conſtituerunt. Sed & ſectarum iterum diverſa fuit ratio, aliæ exiguo viguerunt tempore, vel „ reliquarum vi, & diſputationibus fractæ, & exſtinctæ „ vel quod in obſcuris orbis partibus plantatæ ætatem ferre non potuerunt, quales erant Cyrenaica, Megarica, Eliaca, & Eretrica; aliæ in florentiſſima totius Græciæ urbe Athenis fundatæ longiſſimo temporis ſpatio perdurarunt: erant hæ Academica, ex qua ſubinde Peripatetica exorta eſt; & Cynica, ex qua labente tempore Stoica prodivit. Illas primum; has poſtea referemus. Quæ inde novæ ſectæ? *Cic. de orat. l. 3. c. 17.*

X. Ariſtippus ſublato e vivis Socrate Cyrenen Africæ, quæ ipſi patria erat, ſe contulit, ibique doctrinam magiſtri ſui male intellectam propagare nitens ſectam erexit, quæ a loco quidem Cyrenaica, a doctrina vero Hedonica ab ἡδονῆ dicta eſt; ſublato enim omni bonum inter, ac malum diſcrimine finem hominis, perfectamque felicitatem in ſola voluptate ſitam eſſe docuit, atque fœdiſſimam hanc doctrinam luxurioſa etiam vivendi ratione, quæ a Socratis præceptis prorſus deflexit, egregie comprobavit. Succeſſorem habuit Ariſtippum ex filia Arete nepotem, qui a teneris annis ab ipſa ſua parente inſtitutus inter diſcipulos ſuos numeravit Theodorum quempiam, a quo nonnulli ſectam Theodoriam derivant. Erat vero Theodorus ho- Quæ Cyrenaica? Quæ Theodoria?

homo impius, Deorum contemtor, & acerrimus exſiſtentiæ Numinis impugnator, ἄθεος propterea cognomento dictus. Reſipuiſſe tamen morientem, ac ſuperſtitioſa etiam ligamenta ſibi applicari voluiſſe ajunt. Theodoro Antipater, huic Epitimides, tum Paræbata, ac tandem Hegeſias cum Anniceride ſucceſſerunt: duo hi poſtremi, cum nonnulla de propriis adderent, novas ſectas Hegeſiacam, & Annicerianam paullo poſt iterum interituras condiderunt.

Quæ Hegeſiaca, & Anniceriana? Quæ Megarica?

XI. Euclides Megaris ortus (alius ab eo, qui poſt 95. annos in geometria excelluit) audito Athenis Socrate, cum diſputationum litigioſarum plus æquo amans eſſet, novam in patria ſectam conſtituit, quæ primum a loco Megarica, tum ab indole contentioſa Eriſtica, & demum Dialectica audiit, quod quæſtionibus, ac reſponſionibus eorum diſcurſus abſolverentur. Philoſophicæ eruditionis tanto ferebatur deſiderio, ut cum ſub pœna capitis ſancitum fuiſſet, ne quis Megarenſium civium pedem Athenas inferret, ipſe habitu muliebri, quo facilius lateret, tectus, ſingulis noctibus 1020. paſſibus confectis ad Socratem itaret. Succeſſores in ſchola nactus eſt Eubulidem Soritis inventorem, qui Demoſthenem inſtruxiſſe, & pronunciationem τῦ ῥ docuiſſe fertur; Alexinum, Euphantum, Apollonium Cronum, Diodorum, Ichtyam, Clinomachum, & Stilponem egregios ſophiſtas, & clamoſos diſputatores. Stilpo tamen inventione etiam, ac eloquentia excelluit, dictus propterea a Cicerone „ homo acutus, & probatus. „

Cic. de div. l. 2.

De fat. c. 5.

Quæ Eliaca, & Eretrica?

XII. Phædo Elienſis Socratis primum auditor, eique præ reliquis carus ſcholam demum in patria aperuit, quæ inde Eliaca; poſtea vero a Menedemo Eretrienſi, qui ſecundus ab ipſo (Pliſtanus enim interceſſerat) eam-

dem rexit, Eretrica dicta eſt. Menedemum excepit Aſclepiades, quocum hæc ſecta interiit. Jam ad alteram diviſionis (§. 9.) propoſitæ partem tranſeamus.

XIII. Academica ſecta, quæ præ reliquis magnam nominis celebritatem conſecuta eſt, nomen tulit a loco quopiam nemoroſo in ſuburbio Athenarum ſito, qui a poſſeſſore ſuo Hecademo primum Hecademia, tum vero Academia dictus eſt. Longiſſimo cum floreret tempore hæc ſchola, fieri non potuit, ut non quædam in doctrinam mutationes ſæpius irreperent; orta hinc Academiæ partitio in veterem, mediam, ac novam, quibus aliqui quartam etiam, & quintam addunt. Quæ, & quotuplex Academica?

XIV. Vetus Academia auctorem habet Platonem Athenis anno primo Olymp. 88*væ*, 11*ma* Junii ſecundum rationes a Stanlejo ſubductas, ante Chriſtum 426*to* prognatum. „ Divinus „ hic philoſophus, & philoſophorum Deus, „ ut illum Cicero frequentius appellat, octo primum annis, cum ætatis vigeſimum attigiſſet, Socratis convictu uſus eſt, hauſtaque ab ore magiſtri præcepta litteris conſignavit, quamvis multa quoque de ſuo addiderit: eo vero vita functo primum quidem Megaras ad Euclidem, tum ad diſperſos per Italiam Pythagoræos, Cyrenas ad Theodorum Mathematicum, Tarentum ad Eurytum, & Archytam, & denique in Ægyptum ad ſacerdotes profectus eſt; iturus etiam ad Indos, & Perſarum Magos, niſi bella Aſiatica obſtitiſſent, qua in peregrinatione in phyſicis præcipue, & geometricis plurimum profecit; nec vana eſt ſuſpicio, eum in Moyſis libros incidiſſe, multaque inde in ſuam philoſophiam tranſtuliſſe: ut videre eſt apud Euſebium (*a*), Joſephum (*b*), & Clementem Alex. quo referente Numenius philoſophus dicere conſueverat: „ quid eſt Plato, niſi Moyſes atticiſ- Quæ Academia vetus? Quis Plato?

(*a*) *præp. evang. præp.* 9.
(*b*) *Contra Apion. l.* 2.

 „ ſans? „

tamen, ut ſapiens quandoque aſſenſum præſtet iis, quæ non percipit, id eſt, ut opinetur; modo ſimul ſe opinari advertat, quandoquidem multa veriſimilia ſint. Carneadem excepit Clitomachus; hunc Philo, qui cum bello Mithridatico Romam veniſſet, ſermonum excellentia, & morum ſuavitate magnam ſui apud omnes admirationem excitavit, ipſumque Ciceronem in diſcipulis numeravit. Philoni ſucceſſit Antiochus Aſcalonita, qui „ evidentiæ, ac ſenſuum cauſſam ſuſci„ piens, „ ut ait Lipſius, ad Stoicos defecit, atque in media Academia Stoicam philoſophiam profeſſus eſt: at denique ubi conſenuit, ad veterem Academiam redivit; cujus rei teſtem habemus Tullium, qui eum quoque a ſe Athenis auditum eſſe, licet novam ejus doctrinam quam maxime improbaret, refert.

De nat. Deor. l. 1. c. 3.

Manud. ad Stoic. philoſ. l. 2. diſſ. 3.

Acad. l. 4.

XVII. Hæc de ſecta Academica, quæ cum vel maxime ad ſummam nominis ſui celebritatem contenderet, efficere non potuit, ut non ex proprio gremio alia, ſibique adverſa enaſceretur, quo tantus gloriæ ſplendor non parum obumbrabatur. Platonis videlicet diſcipuli poſt magiſtri ſui mortem in duas abierunt partes; una remanſit in Academia, altera, duce Ariſtotele Lycæum (locum in Athenarum ſuburbio ſitum, atque a Pericle ad exercitationes militares conditum) magiſtratu non invito occupavit, novæque ſectæ initium fecit, quæ a περιπατεῖν Peripatetica appellata eſt, eo quod auditores cum magiſtro ſuo obambulando philoſophari conſueverint.

Quæ ſecta Peripatetica?

XVIII. Natus erat Ariſtoteles Stagyræ in Thracia, anno primo Olymp. 99*nae*, qui eſt ante Chriſtum 382*dus*, patre Nicomacho celebri medico; annorum cum eſſet 17, liberalibuſque artibus jam egregie excultus, Athe-

Quis Ariſtoteles?

nas

nas ſe contulit philoſophiæ addiſcendæ cauſ-ſa; inde Platone prius per 20. anno audito, cui ob ingenii, ac induſtriæ excellentiam ita ſe commendavit, ut ab eo *mens*, *anima* ſuæ ſcholæ vocaretur, in Macedoniam ab rege Philippo euocatus, filioque ejus Alexandro magiſter datus eſt. Munere hoc per 8. annos ita præclare functus eſt Ariſtoteles, ut omnibus, ac præcipue ipſi Alexandro quam maxime probaretur, qui dicere deinceps ſolebat: „ ſe a patre, ut viveret: ab Ariſto„ tele, ut bene viveret, habere „ Ex Macedonia Athenas ubi rediit, Xenocrate in Academia præſidente, ipſe in Lycæo novam ſcholam inſtituit, eamque 13. annorum ſpatio non ſine magna ſapientiæ fama gubernavit. At denique inimicorum calumniis appetitus, diverſorumque criminum, & præcipue impietatis, quodque opiniones Athenienſium ſacris contrarias foveret, poſtulatus, clam Chalcidem profugit, ibique fatis ceſſit annum agens 63*rium* deſignato prius, cum inſtarent diſcipuli, Theophraſto, qui & librorum ab ipſo exaratorum hæres, & in regenda ſchola ſucceſſor foret: hunc ordine inſecuti ſunt Strato ob præclaram in phyſicis eruditionem *Pyſicus* dictus; Lyco, Ariſto, Critolaus, ac denique Diodorus; omnes tamen cum ducis ſui libris, qui à Theophraſti morte teſtamento ad Neleum pervenerunt, deſtituerentur, ejus mentem in ſuis prælectionibus parum feliciter aſſecuti ſunt.

XIX. Conſcripſit vero Ariſtoteles ingentem librorum copiam, ſi fides habenda eſt Laertio prolixum eorum catalogum texenti, in quibus omnes philoſophiæ partes complexus eſt, noviſque inuentis illuſtravit: in logica ſyllogiſmos, eorumque figuras, ac modos primus pertractavit: in excolenda phyſica nactus eſt adjutorem longe nobiliſſimum, ipſum vi- Qui ejus libri?

pollini Delphico litteram ε (quæ Græcis quinarium indicat) dicarunt, hoc facto conteſtati in ſuo ſapientium ordine non contineri, niſi quinque. Nonnulli his præterea adjiciunt Anacharſin Scytharum regis fratrem, Myſonem Chenæum, Epimenidem Cretenſem, ac Pherecydem ex Cycladum inſula Syro oriundum. Porro ſapientes hi politicam potiſſimum philoſophiæ partem excoluerunt, condendis nempe ſapientiſſimis legibus, ſtabiliendis rebus publicis, & informandis hominum moribus unice intenti; ſolus Thales ad geometriam quoque, in qua complura theoremata invenit; aſtronomiam, in qua eclypſium cauſſam, ac modum eas præſagiendi detexit, & demum ad naturam corporum perſcrutandam animum convertit, alioſque inſtituere cœpit: quo ſuo conatu id effecit, ut ingens philoſophandi amor, diſputandique de rebus obſcuris fervor in popularibus ſuis accenderetur. Atque inde factum eſt, ut novelli hi philoſophi pro diverſis, quas tuebantur, ſententiis in diverſas quoque partes abirent, ac varias ſectas (collectionem hominum uni magiſtro adhærentium intelligo) conſtituerent, quæ jam breviter referendæ ſunt.

Quæ ſectarum origo? Quæ diviſio?

VI. Celebriores Græcorum philoſophorum ſectæ ad duas, ex quibus veluti fontibus reliquæ profluxerunt, præeunte Laertio referri poſſunt. Prima harum eſt Jonica, quæ Thaletem: altera Italica, quæ Pythagoram fundatorem veneratur.

Quis Thales? Herod. Clius p. 43.

VII. Thales Mileto Joniæ urbe oriundus, poſtquam ob ingentem doctrinæ famam, quam ſibi diuturna per Aſiam, Phœniciam, Ægyptum, & Cretam peregrinatione, & arctiori cum eorumdem locorum erudiτiſſimis, ac præcipue ſacerdotibus conſuetudine comparavit, ſapientis, ut dictum eſt, compellationem obtinuit anno ætatis ſuæ 59, ludum aperuit,

hau-

hauſtamque ſcientiam cum aliis communicare aggreſſus eſt. Orta inde ſecta, quæ Jonicæ nomen tulit. Inter diſcipulos præ reliquis eminuit Anaximander Mileti quoque natus, qui eidem demortuo in regenda ſchola ſucceſſit, ejuſque doctrinam, licet in Phyſicis non nihil immutatam propagavit. Anaximandrum excepit Anaximenes; hunc Anaxagoras Clazomenius *τηοόμοιομερίας* ſubinde a Lucretio decantatæ auctor; clarus is erat genere, & opibus; at earumdem contemtu multo clarior, agros enim, & patrimonium reliquit „ diſcendi, quærendique cauſſa, divinæ oblectationi toto ſe animo ut dederet: " hunc denique Archelaus *Phyſicus* dictus, quod primus phyſicam ex Jonia Athenas invexerit. In hoc Jonica ſecta, ac naturalis ſimul philoſophia deſiit. — Quæ ſecta Jonica? *Cic. qq. ac. l. 4.* *Cic. qq. tuſc. l. 5.* *Cic. l. c.*

VIII. Socrates enim ejus diſcipulus, ac ſucceſſor neglecta phyſica totum ſe ad moralem doctrinam expoliendam, ac in ordinem redigendam applicuit. „ Primus a rebus occultis, „ & ab ipſa natura involutis, in quibus omnes ante eum philoſophi occupati fuerunt, „ avocavit philoſophiam, & ad vitam communem adduxit, ut de virtutibus, & vitiis, omninoque de bonis rebus, & malis „ quæreret „ præclariſſima prorſus præcepta ſtatuens homini, vel ſecundum ſe, vel ut patrifamilias, vel ut membro reipublicæ ſpectato obſervanda; atque hac ratione novam ſectam a ſe Socraticam appellatam fundavit. Erat porro Socrates omnium eruditorum teſtimonio, totiuſque Græciæ judicio „ cum „ prudentia, & acumine, & venuſtate, & „ ſubtilitate, tum vero eloquentia, varietate, copia, quam ſe cumque in partem dixiſſet, omnium facile princeps. „ Singularem in docendo æque, ac diſputando tenebat methodum, quærens multa, aſſerens pauca; — Quis Socrates. *Cic. qq. ac. l. 5.* ejuſque ſecta? *Cic. de orat. l. 3.*

ſrequenter etiam ſe nihil ſcire profeſſus.
Id. qq. ac. l. 5. „ Hic ita diſputat, ut nihil affirmet ipſe, refellat alios, nihil ſe ſcire dicat, „ niſi id ipſum: eoque præſtare ceteris, quod „ illi, quæ neſciant, ſcire ſe putent, ipſe ſe nihil ſcire id unum ſciat. „ At veriſimillimum eſt, id eum non ex animi ſententia feciſſe, verum, ut ſapienter obſervavit Verulamius, „ per ironiam, & ſcientiam diſſimulando ſimulaſſe, renunciando ſcilicet iis, „ quæ manifeſto ſciebat, ut eo modo etiam, „ quæ neſciebat, ſcire putaretur; „ Natus fuit Socrates Athenis anno *4to* Olymp. *77mæ*, & quidem ut Stanlejus rationes ſupputat. 30. Maii die Jovis anno ante Chriſtum *467mo*: mortuus anno ætatis *70*. completo, hauſto in carcere veneno, ubi prius egregie de animæ humanæ immortalitate, deque futura bonarum mentium beatitate cum diſcipulorum ſuorum fideliſſimis, Platone præcipue, Critone, Simmia, ac Cebete diſſeruiſſet. Id nempe probitatis, doctrinæque ſuæ ab iniquiſſimis judicibus, ad quos variorum criminum cauſſa per invidiam nonnullorum delatus erat, præmii denique retulit. Præcipua accuſationis capita fuerunt: Socratem contemtis Diis popularibus novos introducere, ac juvenes a parentum obſervantia abſtractos ad ſe pellicere. Neque vero difficile fuiſſet Socrati aut accuſationem diluere, aut aliis quoque viis capitis ſententiam declinare, noluit tamen, atque magna animi conſtantia amicis & lytrum, & fugæ occaſionem offerentibus repoſuit: timere mortem haud decere philoſophum; ſat diu ſe in corpore peregrinatum eſſe; cupere jam beatorum ſedes ingredi.

De augm. ſcient. l. 5. c. 2.

Qui Philoſophi Socratici?

IX. Socratis auditorum, qui Socraticorum philoſophorum compellationem ſortiti ſunt, triplex eſt genus: alii, ut Crito, Chærephon,

phon, Xenophon, Æſchynes, Simmias, Simo, Cebes, Glauco, & Terpſion doctrinam ejus amplexi, nulli, ceteroquin ſectæ ſe addixerunt; alii præceptis morum egregie ab eo imbuti alia deinceps in republica munia ſuſceperunt, quales fuerunt Critias, Alcibiades, Pericles orator apud Athenienſes celeberrimus; alii denique diverſa ex defuncti magiſtri diſciplina apprehendentes capita in diſſentientes inter ſe familias abierunt, novaſque ſectas conſtituerunt. Sed & ſectarum iterum diverſa fuit ratio, aliæ exiguo viguerunt tempore, vel „ reliquarum vi, & diſputationibus fractæ, & exſtinctæ „ vel quod in obſcuris orbis partibus plantatæ ætatem ferre non potuerunt, quales erant Cyrenaica, Megarica, Eliaca, & Eretrica; aliæ in florentiſſima totius Græciæ urbe Athenis fundatæ longiſſimo temporis ſpatio perdurarunt: erant hæ Academica, ex qua ſubinde Peripatetica exorta eſt; & Cynica, ex qua labente tempore Stoica prodivit. Illas primum; has poſtea referemus. *Quæ inde novæ ſectæ? Cic. de orat. l. 3. c. 17.*

X. Ariſtippus ſublato e vivis Socrate Cyrenen Africæ, quæ ipſi patria erat, ſe contulit, ibique doctrinam magiſtri ſui male intellectam propagare nitens ſectam erexit, quæ a loco quidem Cyrenaica, a doctrina vero Hedonica ab ἡδονὴ dicta eſt; ſublato enim omni bonum inter, ac malum diſcrimine finem hominis, perfectamque felicitatem in ſola voluptate ſitam eſſe docuit, atque fœdiſſimam hanc doctrinam luxurioſa etiam vivendi ratione, quæ a Socratis præceptis prorſus deflexit, egregie comprobavit. Succeſſorem habuit Ariſtippum ex filia Arete nepotem, qui a teneris annis ab ipſa ſua parente inſtitutus inter diſcipulos ſuos numeravit Theodorum quempiam, a quo nonnulli ſectam Theodoriam derivant. Erat vero Theodorus *Quæ Cyrenaica?* *Quæ Theodoria?*

homo impius, Deorum contemtor, & acerrimus exſiſtentiæ Numinis impugnator, ἄθεος propterea cognomento dictus. Reſipuiſſe tamen morientem, ac ſuperſtitioſa etiam ligamenta ſibi applicari voluiſſe ajunt. Theodoro Antipater, huic Epitimides, tum Paræbata, ac tandem Hegeſias cum Anniceride ſucceſſerunt: duo hi poſtremi, cum nonnulla de propriis adderent, novas ſectas Hegeſiacam, & Annicerianam paullo poſt iterum interituras condiderunt.

Quæ Hegeſiaca, & Annicerianæ?

Quæ Megarica?

XI. Euclides Megaris ortus (alius ab eo, qui poſt 95. annos in geometria excelluit) audito Athenis Socrate, cum diſputationum litigioſarum plus æquo amans eſſet, novam in patria ſectam conſtituit, quæ primum a loco Megarica, tum ab indole contentioſa Eriſtica, & demum Dialectica audiit, quod quæſtionibus, ac reſponſionibus eorum diſcurſus abſolverentur. Philoſophicæ eruditionis tanto ferebatur deſiderio, ut cum ſub pœna capitis ſancitum fuiſſet, ne quis Megarenſium civium pedem Athenas inferret, ipſe habitu muliebri, quo facilius lateret, tectus, ſingulis noctibus 1020. paſſibus confectis ad Socratem itaret. Succeſſores in ſchola nactus eſt Eubulidem Soritis inventorem, qui Demoſthenem inſtruxiſſe, & pronunciationem τῦ ῥ docuiſſe fertur; Alexinum, Euphantum, Apollonium Cronum, Diodorum, Ichtyam, Clinomachum, & Stilponem egregios ſophiſtas, & clamoſos diſputatores. Stilpo tamen inventione etiam, ac eloquentia excelluit, dictus propterea a Cicerone „ homo acutus, & probatus. „

Cic. de div. l. 2.

De fato c. 5.

Quæ Eliaca, & Eretriaca?

XII. Phædo Elienſis Socratis primum auditor, eique præ reliquis carus ſcholam demum in patria aperuit, quæ inde Eliaca; poſtea vero a Menedemo Eretrienſi, qui ſecundus ab ipſo (Pliſtanus enim interceſſerat) eamdem

dem rexit, Eretrica dicta eſt. Menedemum excepit Aſclepiades, quocum hæc ſecta interiit. Jam ad alteram diviſionis (§. 9.) propoſitæ partem tranſeamus.

XIII. Academica ſecta, quæ præ reliquis magnam nominis celebritatem conſecuta eſt, nomen tulit a loco quopiam nemoroſo in ſuburbio Athenarum ſito, qui a poſſeſſore ſuo Hecademo primum Hecademia, tum vero Academia dictus eſt. Longiſſimo cum floreret tempore hæc ſchola, fieri non potuit, ut non quædam in doctrinam mutationes ſæpius irreperent; orta hinc Academiæ partitio in veterem, mediam, ac novam, quibus aliqui quartam etiam, & quintam addunt. Quæ, & quotuplex Academica?

XIV. Vetus Academia auctorem habet Platonem Athenis anno primo Olymp. 88væ, 21ma Junii secundum rationes a Stanlejo ſubductas, ante Chriſtum 426to prognatum. „ Divinus „ hic philoſophus, & philoſophorum Deus, „ ut illum Cicero frequentius appellat, octo primum annis, cum ætatis vigeſimum attigiſſet, Socratis convictu uſus eſt, hauſtaque ab ore magiſtri præcepta litteris conſignavit, quamvis multa quoque de ſuo addiderit: eo vero vita functo primum quidem Megaras ad Euclidem, tum ad diſperſos per Italiam Pythagoræos, Cyrenas ad Theodorum Mathematicum, Tarentum ad Eurytum, & Archytam, & denique in Ægyptum ad ſacerdotes profectus eſt; iturus etiam ad Indos, & Perſarum Magos, niſi bella Aſiatica obſtitiſſent, qua in peregrinatione in phyſicis præcipue, & geometricis plurimum profecit; nec vana eſt ſuſpicio, eum in Moyſis libros incidiſſe, multaque inde in ſuam philoſophiam tranſtuliſſe: ut videre eſt apud Euſebium (a), Joſephum (b), & Clementem Alex. quo referente Numenius philoſophus dicere conſueverat: „ quid eſt Plato, niſi Moyſes atticiſ- Quæ Academia vetus? Quis Plato?

(a) præp. evang. præp. 9.
(b) Contra Apian. l. 2.

 „ ſans? „

„ ſans? „ Redux tandem Athenas in Academia docere aggreſſus eſt, ſicque ſectam Academicam inſtituit, dogmata Heracliteorum, Pythagoræorum, & Socraticorum commiſcendo, illos in *ſenſibilibus*: hos in *intelligibilibus*: poſtremos denique in *politicis*, & *moralibus* ſecutus. Diſcipulos & copioſos admodum, & præclaros nactus eſt, Speuſippum ex ſorore nepotem, Xenocratem Chalcedonium, Ariſtotelem, Dionem Syracuſanum, Demoſthenem, & Iſocratem Oratores, alioſque complures, quos tamen geometriæ præceptis jam antea imbutos voluit; quod, ut omnibus notum fieret, ſcholæ foribus inſcripſit: *οὐδεὶς ἀγεωμέτρητος εἰσίτω*, nemo geometriæ expers huc intret. Placita ſua, quorum generale

Qq. acad. l. 5. c. 8. quaſi compendium nobis Tullius reliquit, in dialogos 56. digeſſit, quibus vel Socratis, vel alterius philoſophi celebrioris nomen præfixit: in eo, qui Phædo inſcribitur, animæ

Laert. l. 3. humanæ immortalitas tanta verborum copia, & argumentorum pondere demonſtratur, ut cum illum quondam publice legeret, ingens

Tuſc. l. 1. c. 34. in auditoribus commotio ſecuta fuerit; Cicero addit Cleombrotum Ambraciotam ex eorum numero mortalis vitæ tædio correptum ſe ſe ex muro prægalto in mare præcipitaſſe. Platone anno ætatis 81*ma* completo, ipſoque natalis ſui die defuncto, ſcholæ in Academia ordine præfuerunt Speuſippus, Xenocrates, Polemo, Crantor, Crates, qui omnes cum doctrinam magiſtri ſui illibatam conſervarent, id effecerunt, ut Academia vetus haud muta-

Acad. l. 1. c. 8. ta perſiſteret, quæ ipſo Ciceronis judicio *Dogmaticis* (ii intelliguntur, qui ſe in pluribus veritatem aſſecutos eſſe aſſeverant,) accenſenda eſt, cum ea, quæ intellectu percipiuntur, ſcientia vera teneri poſſe docuerit.

Quæ Academia media? XV. At vero Arceſilaus, ſeu ut paſſim Cicero, Arceſilas, qui Crateti in regenda ſcho-

ſa

là ſucceſſit, doctrinæ formam immutando Academiam mediam inchoavit. Quid eam novandi occaſionem præbuerit, refert S. Auguſtinus. Zeno Stoicorum caput, Polemonis quondam auditor, & in doctrina Platonica enutritus ſeceſſionem fecerat, multaque in deteriorem ſenſum detorta docuerat; quam novam doctrinam latiſſime diſſeminari cum adverteret Arceſilaus, prudenti quadam œconomia uſus Academiæ placita diſſimulare conſtituit, ne Platonis myſteria publicata, vulgique notitiæ expoſita vileſcerent: eam in rem occultatis Platonis dogmatis, & cum iis ſolum, qui in Academia conſeneſcere decreverant, communicatis, impugnando aliorum, & præcipue Zenonis ſententias, voluit potius dedocere male doctos, quam docere eos, quos dociles, non arbitrabatur, „ negans eſſe quid„ quam, quod ſciri poſſit: ne illud quidem, „ quod Socrates ſibi reliquiſſet, ſe nihil ſci„ re. „ Inde intulit, nihil omnino affirmandum eſſe, neque in tanta rerum *ἀκαταληψίας*, ſeu *incomprehenſibilitate* aliud ſapienti relinqui, atque *ἐποχὴν* id eſt aſſenſus, ac judicii retentionem: dictus propterea cum ſuis aſſeclis *Acatalepticus*, ſeu *Ephecticus*. Arceſilaum ſecuti ſunt Lacydes, Evander, & Egeſinus, in quo Academia media expiravit.

L. contra Acad.

XVI. Carneades ſiquidem, qui ſecundum eum ſcholæ curam ſuſcepit, Novam inſtituit, aſſerendo eam *incomprenſibilitatem* non rebus ipſis, aut earum natura contineri, ſed eſſe in iis omnino aliquid, quod verum ſit, aut falſum: apparere tamen falſa ita finitima veris, ut ea inter ſe ſine erroris periculo diſcerni prorſus nequeant. Aiebat proinde, nihil omnino eſſe, quod percipi poſſit; ne hanc quidem enunciationem: „ nihil eſt, quod „ percipi valeat. „ Verum ut ut fuerit acerrimus *ἐποχῆς* academicæ defenſor, indulſit

Quæ Academia nova? *Cic. qq. acad. l. 5.*

ta-

tamen, ut ſapiens quandoque aſſenſum præſtet iis, quæ non percipit, id eſt, ut opinetur; modo ſimul ſe opinari advertat, quandoquidem multa veriſimilia ſint. Carneadem excepit Clitomachus; hunc Philo, qui cum bello Mithridatico Romam veniſſet, ſermonum excellentia, & morum ſuavitate magnam ſui apud omnes admirationem excitavit, ipſumque Ciceronem in diſcipulis numeravit. Philoni ſucceſſit Antiochus Aſcalonita, qui,, evidentiæ, ac ſenſuum cauſſam ſuſci- » piens,,, ut ait Lipſius, ad Stoicos defecit, atque in media Academia Stoicam philoſophiam profeſſus eſt: at denique ubi conſenuit, ad veterem Academiam redivit; cujus rei teſtem habemus Tullium, qui eum quoque a ſe Athenis auditum eſſe, licet novam ejus doctrinam quam maxime improbaret, refert.

De nat. Deor. l. 1. c. 3.

Manud. ad Stoic. philoſ. l. 2. diſſ. 3.

Acad. l. 4.

XVII. Hæc de ſecta Academica, quæ cum vel maxime ad ſummam nominis ſui celebritatem contenderet, efficere non potuit, ut non ex proprio gremio alia, ſibique adverſa enaſceretur, quo tantus gloriæ ſplendor non parum obumbrabatur. Platonis videlicet diſcipuli poſt magiſtri ſui mortem in duas abierunt partes; una remanſit in Academia, altera, duce Ariſtotele Lycæum (locum in Athenarum ſuburbio ſitum, atque a Pericle ad exercitationes militares conditum) magiſtratu non invito occupavit, novæque ſectæ initium fecit, quæ a περιπατεῖν Peripatetica appellata eſt, eo quod auditores cum magiſtro ſuo obambulando philoſophari conſueverint.

Quæ ſecta Peripatetica?

XVIII. Natus erat Ariſtoteles Stagyræ in Thracia, anno primo Olymp. 99*nae*, qui eſt ante Chriſtum 382*dus*, patre Nicomacho celebri medico; annorum cum eſſet 17, liberalibuſque artibus jam egregie excultus, Athenas

Quis Ariſtoteles?

nas ſe contulit philoſophiæ addiſcendæ cauſſa; inde Platone prius per 20. anno audito, cui ob ingenii, ac induſtriæ excellentiam ita ſe commendavit, ut ab eo *mens*, *anima* ſuæ ſcholæ vocaretur, in Macedoniam ab rege Philippo euocatus, filioque ejus Alexandro magiſter datus eſt. Munere hoc per 8. annos ita præclare functus eſt Ariſtoteles, ut omnibus, ac præcipue ipſi Alexandro quam maxime probaretur, qui dicere deinceps ſolebat: „ ſe a patre, ut viveret: ab Ariſto„ tele, ut bene viveret, habere „ Ex Macedonia Athenas ubi rediit, Xenocrate in Academia præſidente, ipſe in Lycæo novam ſcholam inſtituit, eamque 13. annorum ſpatio non ſine magna ſapientiæ fama gubernavit. At denique inimicorum calumniis appetitus, diverſorumque criminum, & præcipue impietatis, quodque opiniones Athenienſium ſacris contrarias foveret, poſtulatus, clam Chalcidem profugit, ibique fatis ceſſit annum agens 63*tium* deſignato prius, cum inſtarent diſcipuli, Theophraſto, qui & librorum ab ipſo exaratorum hæres, & in regenda ſchola ſucceſſor foret: hunc ordine inſecuti ſunt Strato ob præclaram in phyſicis eruditionem *Pyſicus* dictus; Lyco, Ariſto, Critolaus, ac denique Diodorus; omnes tamen cum ducis ſui libris, qui à Theophraſti morte teſtamento ad Neleum pervenerunt, deſtituerentur, ejus mentem in ſuis prælectionibus parum feliciter aſſecuti ſunt.

XIX. Conſcripſit vero Ariſtoteles ingentem librorum copiam, ſi fides habenda eſt Laertio prolixum eorum catalogum texenti, in quibus omnes philoſophiæ partes complexus eſt, noviſque inuentis illuſtravit: in logica ſyllogiſmos, eorumque figuras, ac modos primus pertractavit: in excolenda phyſica nactus eſt adjutorem longe nobiliſſimum, ipſum Qui ejus libri?

vi.

videlicet Alexandrum M. qui ei collecta magnis ſumtibus omnis generis animalia ſubmiſit, quo eorum naturas, ac proprietates perſcrutaretur. Neleus porro Ariſtotelicos libros ſecum Scepſin in patriam deportavit, morienſque hæredibus ſuis reliquit. Magna hi cura eos aſſervarunt, ita plane, ut timore Attalicorum regum Pergami bibliothecham inſtruentium eos ſubterranea in ſpecu abſconderent, quo factum eſt, ut magnam partem ab aere, vermibuſque corroderentur. Eruti tandem poſt 130 circiter annos venditi ſunt Teio Appelliconi, qui lacunas infelici ſollertia ſarciens, ut corruptiſſimi evaderent, effecit. Sed non unicum id erat, quod Ariſtoteles in ſuis ſcriptis accepit vulnus; alterum intulit Romæ Tyrannio Gramaticus; ubi enim Sylla occupatis Athenis hos cum aliis quam plurimis libris Romam deferri curaſſet, Tyrannio Ariſtotelis ſtudioſiſſimus uſu eorum obtento reliqua, quæ adhuc deerant, ex propriis ſupplevit, eoſque per homines ſatis imperitos deſcribi curans id obtinuit, ut ab exemplari ſuo quam maxime abſcederent. Maculatos denique hac ratione Ariſtotelicos libros Andronicus Rhodius, qui eos a Tyrannione acceperat, primus publicavit, digeſſis antea in ordinem iis, quæ ad logicam, ethicam, & phyſicam ſpectabant; cum vero reſtarent nonnulla, quæ, quod de ente in genere agebant, ad nullam harum claſſium referri poſſe videbantur, ea phyſicæ ſubjiciens *μετα τα φυσικα* inſcripſit. Atque inde *methaphyſica* nomen ortum traxit, quod ſubinde ab Alexandro Aphrodiſæo primum uſurpatum; Ariſtoteli vero prorſus incognitum fuit; is enim hanc philoſophiæ partem, jam philoſophiam primam, jam ſapientiam, jam theologiam appellare conſueverat.

Quæ ſecta Cynica.

XX. Ad Socratem tantiſper redeamus: erat

erat in ejus diſcipulorum numero Antiſtenes Athenienſis, cui præ reliquis magiſtri ſui ſermonibus ſi arridebant, qui præclara de tolerantia, laboribuſque, ac ærumnis fortiter perferendis monita ſuppeditabant: hæc ipſi occaſio fuit, ut mortuo Socrate a reliquis ſecederet, novæque ſectæ initium daret; Cynoſargen locum non procul a portis civitatis diſſitum, quo novam doctrinam excepturi convenirent, ſelegit. Ejus vero nominis origo hæc eſt: Didymo Athenienſi domi ſuæ ſacris operanti candidus canis victimam rapuit, eamque eo in loco depoſuit; conſulitur hac ſuper re Oraculum; reſpondet Pythia, templum Herculi ſacrum ibidem exſtrui oportere, quod ubi erectum fuit, *Cynoſargis* nomen tulit, quaſi dicas: τȣ κυνος ἀργȣ̃ ναον *candidi canis templum*. Inde vero etiam Antiſteni, ejuſque ſectatoribus Cynicorum nomen hæſit, caneſque dicti ſunt ab iis potiſſimum, qui eorum inſtitutum non probabant; quamquam etiam canino vivendi genere, & acerbitate illa, qua hominum vitia publice perſtringebant, hanc nomenclationem optime promeriti fuerint. Præcipuum ipſi doctrinæ caput erat, virtutem ſolam ad felicitatem ſufficere: hoc nixus principio rejectis omnibus artibus liberalibus, ipſaque adeo dialectica, ac phyſica ad ſolam ethicam animum appulit, in qua excolenda omnem modum prætergreſſus eſt. Neque vero externa vivendi ratio a doctrinæ ſeveritate abluſit; abjecta ſiquidem tunica, ſordido ſolum palliolo amictus, baculo item ac pera armatus, & promiſſa barba inceſſit, vitam agens omnino tenuem, ac pauperem, divitiaſque, honores, ac dignitates velut mera vitiorum tegumenta abominatus: id quod omnibus deinceps ipſius aſſeclis in conſuetudinem abiit. Antiſtenem ſecutus eſt Diogenes Sinopenſis, qui præclare

Quis Antiſtenes?

Quis Diogenes?

re

re adeo Cyniſmum condidicit, ut etiam magiſtrum ſuperaret; cubiculo cum deſtitueretur, in dolio habitare cœpit, ſorte ſua contentiſſimus, atque invictum in adverſis quibuſcumque præ ſe ferens animum: quo magnam ſui apud omnes, & cumprimis Alexandrum M. admirationem excitavit, qui eo conſpecto dixiſſe fertur: „ vellem Diogenes „ eſſe, niſi eſſem Alexander. „ Diogenem excepit Monimus, hunc Oneſicritus: hunc Crates Thebanus nobili ortus genere, qui ducentis talentis, quæ ex vendito patrimonio acquiſierat, inter cives diſtributis, addito hoc celebri effato: „ Crates Cratetem li„ berat pecuniis nolens Cratetem haberi ab „ iſtis, quæ tenet: „ totum ſe Cynicæ Philoſophiæ dedit, nactus diſcipulum, ac ſucceſſorem Metroclem. Huic ſucceſſerunt Menippus, & Menedemus, quorum ultimus eo venit dementiæ, ut habitu furiarum aſſumto circumiret clamitans: ſe ſpeculatorem ab inferis adeſſe, ut delinquentes obſervet, quæque perperam acta viderit, redux iiſdem nunciet. In hoc Cynicorum ſucceſſio defecit.

Quis Zeno Citticus? XXI. Zeno enim Citticus, cum verecundior eſſet, quam ut Cynicam impudentiam animo indueret, complura doctrinæ capita, ac ſordidum illud vivendi genus haud parum immutavit, novamque ſectam conflavit. Relicto, quem aliquamdiu ſequebatur, Cratete Cynico, Stilponem Megaricum decennio integro audivit: ab hoc Xenocratem Platonicum adiit; tum a Diodoro Crono in dialecticis inſtructus, demum Polemonis prælectiones excepit. Collectam diuturno labore eruditionem communicaturus ποικιλην σοαν (porticum variam ita a Polygnoti picturis compellatam) elegit, ibique ſcholam, cui 58. annis præfuit, aperuit, concurrente ingenti auditorum numero, qui primum a ca-

pite

pite ſuo Zenonii, tum a loco Stoici dicti ſunt. Erat Zeno vir ſingulari continentia (unde natum illud: *Zenone continentior*) morum ſeveritate, mira in alios facilitate, gloriæ, & oſtentationis contemtu inſignis: præter ethicam, quam Cynicorum more imprimis excoluit, logicam quoque in qua multa de ſuo addidit, & naturalem philoſophiam pertractavit. Præcipuum ipſi in moralibus dogma: virtutem propter ſe ipſam expetendam eſſe, atque in ea ſola veram hominis felicitatem conſiſtere, quod omnibus ſubinde ejus ſucceſſoribus placuit, etſi ceteroquin in quam plurimis inter ſe diſſiderent: conſtat enim opinionum diſſidium ſectæ huic præ reliquis proprium, ac familiare fuiſſe. Zenoni ſucceſſit Cleanthes vir inſignis tolerantiæ; cum enim mediis ad vitæ uſum neceſſariis deſtitueretur, noctu hauriendæ in hortis aquæ, aliiſque duris laboribus operam dedit, ut comparato ſibi victu interdiu philoſophiæ vacare liceret. Cleantem ſecutus eſt Chryſippus quam ſingulari ingenio, & mentis acumine pollens, atque in dialecticis ſupra modum verſatus, tam ſui plenus, alioſque omnes præ ſe ſuperbe deſpiciens: multa propterea in anteceſſorum placitis innovavit, ac de ſuo addidit, conſcriptis magno numero voluminibus, „ ut nihil ſit a Chryſippo prætermiſſum in Stoicis. „ (*a*) Chryſippum ordine exceperunt Zeno Tarſenſis, Diogenes Seleucenſis, „ magnus, & gravis Stoicus „ (*b*) Antipater Sidonius, „ acutiſſimus. (*c*) „ Et inter magnos Stoicæ ſectæ auctores, (*d*) „ Panætius Rhodius „ Stoicorum princeps, „ & Stoicorum graviſſimus (*e*) „ Demum „ Poſſidonius Apameæ in Syria natus, qui Rhodi, & reipublicæ, & ſcholæ præfuit: ab hoc quoque ſe inſtitutum fuiſſe refert Cicero. Quin & Pompejum, qui illum, dum

Quæ ſecta Stoica?

(*a*) *Cic. de fin. l. 1.*
(*b*) *Id. qq. tuſc. l. 3.*
(*c*) *Id. de off. l. 3.*
(*d*) *Seneca ep. 92.*
(*e*) *Cic. qq. ac. l. 4. & de off. l. 2. De off. l. 1.*

e Sy-

e Syria redux ejus viſendi cauſſa Rhodum deflexit, acutiſſimis licet artuum doloribus cruciatum, nervoſe diſſerentem: „ nihil eſſe „ bonum, niſi quod honeſtum ſit; „ & audivit, & ſuſpexit. Hucuſque pertingit non interrupta Stoicorum ſucceſſio, quæ ſecundum ordinem a Diogene Laertio propoſitum in ſcholis a Thalete inſtitutis derivatio eſt poſtrema. Stoicorum quoque gravitatem, quod præterire hic nequeo, in Judæa, quamquam multo tardius, imitati ſunt Phariſæi: in ſtabiliendo fato Chryſippum ſecuti videntur, ita enim illud admiſerunt, ut ſimul perfectam arbitrii libertatem profiterentur: ut teſtis eſt Joſephus ipſe Phariſæus. Etſi porro nonnullam phyſicæ, & matheſi operam dederint; præcipuum tamen ipſis ſtudium fuit legis avitæ, quam ſpuriis traditionibus, & falſis interpretationibus admodum depravarunt. Floruit hæc ſecta jam Machabæorum ætate, Alexandro Jannæo Ariſtobuli filio imperium tenente; everſa vero ſubinde urbe, ac templo & ipſa paullatim concidit.

Id. qq. tuſc. l. 2.

Qui Phariſæi?

De bell. Jud. l. 2. c. 7. Antiqq. Jud. l 13. c. 9.

XXII. Rerum ſeries jam poſtulat, ut ad ſectam Italicam transeamus, quæ in ea Italiæ parte, cui coloniarum Græcarum frequentia magnæ Græciæ nomen impoſuit, auctore Pythagora efflôruit. Natus erat Pythagoras in inſula Samo anno tertio Olymp. 53*tia*, ante Chriſtum 564*to*, ſingulari morum maturitate, ingenii vi, aliiſque non ordinariis animi dotibus, quæ jam in juvene ſupra vulgarem modum elucebant, a natura inſtructus. Primum Samii, cum nondum 18*vum* ætatis annum attigiſſet, præceptorem nactus eſt Hermodamantem; tum vero Phærecydem Syrum in Lesbo commorantem, Anaximandrum, & ipſum Thaletem Mileti audivit. Non poterat Thales ipſius ingenium, diſcendique aviditatem pro merito admirari, auctor-

Quis Pytagoras?

ctorque exſtitit, ut in Phœniciam, atque Ægyptum ad ſacerdotes præcipue Memphiticos, Dioſpolitanos, ac Thebanos, a quibus ipſe quoque omnem ſuam hauſiſſet ſcientiam, ſe ſe conferret; quod conſilium ſecutus cum eſſet, ipſos 22. annos familiari eorum conſuetudine uſus, atque omnibus Phœniciorum, ac Ægyptiorum ſacris initiatus, religionis myſteria maxime recondita, omniumque Deorum initia, nec non aſtronomiam, & geometriam pro illorum temporum ratione perfectiſſime condidicit. Deerat adhuc muſica, ac numerorum doctrina: in his quoque a præſtantiſſimis Chaldæorum, Perſarumque Magis Babylone, quo, ſubacta a Cambyſe Ægypto, una cum reliquis captivis abductus fuerat, inſtitutus eſt. Inde perſoluto a quodam Crotoniatarum Principe redemtionis lytro in patriam redivit quidem, haud tamen diu in ea commoratus eſt; cum enim doctrinam de ſe obſcuram, novis inſuper numerorum, aliiſque ſymbolis involutam exciperet nemo, unum ſi demas juvenem, quem ut diſcipulum haberet, alere quoque cogebatur, novam peregrinationem ſuſcepit, in qua Delphos, Cretam, Spartam, Phliuntem, aliaque inviſit loca, & Jovis Cretenſis myſteria, latas quoque a Minoe, & Lycurgo leges perſcrutatus eſt. Tandem patriæ prorſus valedicens, quod in eam redux ad ſuſcipiendum reipublicæ gubernaculum a civibus adigeretur, novam ſibi ſedem in Italia quæſivit, atque Crotonæ, urbe in ſinu Tarentino ſita, ſumma civium lætitia, ac benevolentia exceptus, publicoque ſenatus decreto ſcholam aperire juſſus eſt. Id quod regnante Romæ Tarquinio ſuperbo contigiſſe refert Cicero. *Qq. tuſc. l. 1.*

XXIII. Ut primum publice docere aggreſſus eſt Pythagoras, nactus eſt diſcipulos & copioſos admodum, & ſapientiæ fama inclytos, *Qui ejus diſcipuli?*

tos,

tos, quos inter præcipuo loco nominandi veniunt Empedocles Agrigentinus a duobus, quæ ſtatuit rerum omnium principiis *Amicitia*, *& Diſcordia*: Archytas Tarentinus a mechanica in formam artis redacta: Timæus Locrus a libro de mundo, ex quo complura in ſuam Plato philoſophiam derivavit, celebris; Alcmæon denique Crotoniates, Hippaſus Metapontinus, Eudoxus Gnidius, & Philolaus Crotoniates, qui primus annuum terræ motum docuiſſe fertur. Diſcipulorum vero duplicem claſſem conſtituit; prima *Genuinos*, *Acroaticos*, ſive *Pythagoraos* complectebatur, quorum ſub initium jam 600. concurriſſe ſcribit Laertius; communi hi utebantur victu-facultatibus etiam ſuis in unum collatis, nec umquam, niſi diu probati, ad magiſtri conſpectum admittebantur; ſed noctu ejus poſt velum quoddam latentis inſtructiones excipiebant, arctiſſimo inſuper ſilentio per quinquennium integrum adſtricti. Docebantur autem primum arithmeticam, tum muſicam & geometriam, tandem philoſophiam, quæ in duas dividebatur partes, Theoreticam nimirum, & Practicam, quarum hæc elegantiſſimis præceptis de divino cultu, pietate in mortuos, reverentia erga parentes, obſervantia legum, temperantia, fortitudine, aliiſque virtutibus referta erat, cujus omnis doctrinæ ſumma aureo Pythagoræ carmine, ut vulgo audit, continetur, quod non ab ipſo, ſed a diſcipulorum nonnullis, ut inter eruditos fere convenit, compoſitum videtur. Hac porro inſtituendi ratione ingentem ſibi apud diſcipulos auctoritatem conciliavit, quæ per ſerpentem inter eos rumorem, eum Apollinem Hyperboreum, vel ſaltem bonum a Diis ſubmiſſum genium eſſe, mirum in modum crevit; unde factum eſt, ut illius dicta oraculorum inſtar exciperent, neque aut dubi-

Quæ eorum claſſes?

Quæ Pythagoræ doctrina?

bitare, aut quærere quidpiam, aut contradicere fas eſſe putarent, illud perpetuo occinentes: *ἀυτος ἔφα* ipſe dixit. Ad alteram vero claſſem *Acuſmatici*, ſeu *Pythagoriſtæ* ſpectabant, quibus ſe ſe adjungere cuilibet licebat: his in ampliſſimo quodam *ἱμακοιῳ*, quod interprete Clemente Alex. Eccleſiam denotat, convenientibus ipſe ſapientiſſima, atque cujuſvis conditioni accommodata monita impertiebat. Obiit demum Pythagoras ſecundum mentem S. Juſtini anno 4to Olymp. 70mæ, mortis genus incertum eſt; eum nonnulli ob tyrannidis affectatæ ſuſpicionem occiſum eſſe volunt. Succeſſit Ariſtæus, qui relictam ejus uxorem Theanonem præclare quoque philoſophantem duxit, atque duos filios patre viduatos Mneſarchum, & Telaugen inſtituit: horum prior ſcholam deinceps regendam ſuſcepit, eamque Tydæ Crotoniatæ reliquit, qui paullo poſt ob publicas patriæ calamitates mærore confectus Pythagoræorum ſucceſſioni finem impoſuit, etſi non defuerint, qui per plurima diſperſi loca hanc doctrinam longe, lateque diſſeminarent. Certe adeo hæc ſecta exſtincta non eſt, ut non obſcura ejus veſtigia in Judæa quoque poſt reditum e captivitate Babylonica deprehendere liceat; mea enim opinione Eſſeni, ſive Eſſæi, nota inter Judæos ſecta, ad Pythagoræos propius acceſſerunt, atque, ut nonnulli volunt, ad Cynicos. Non diffiteor equidem, ipſos adſcita quadam morum aſperitate, & nimia in reprehendendis vitiis ſeveritate nonnullam Cyniſmi ſpeciem præ ſe tuliſſe, longe tamen erant a ſordido illo, quod Cynicæ philoſophiæ caput fuit, vivendi genere remoti, utpote iterandis ſæpius in die baptiſmatis aſſueti. Id vero cum Pytagoræis commune habuerunt, ut ſilentii, ac ſolitudinis amore, & quadam aſceticæ vitæ ratione ſe ſe a popularibus ſuis ſe-

Qui Eſſeni?

pa-

pararent, præter ethicæ ſtudium ſingulari induſtria in artem medicam condiſcendam incumberent, nativamque herbarum, ac lapidum vim ſollicite indagarent. Alii urbes incolebant, alii in ſilvis deliteſcebant, nec parvo numero; Joſephi ſiquidem ætate amplius quatuor eorum millia per Judæam ſparſi fuerunt. Ceterum de Deo, ejus providentia, animæque humanæ immortalitate rectas cum Phariſæis opiniones foverunt,

De bell. Jud. l. 2. c. 2. & 7.

Quæ ex Italica oriundæ ſectæ? XXIV. Italica hæc ſecta, quæ, ut vidimus, Pythagoram auctorem veneratur, in quatuor ſubinde partes ſciſſa quatuor diverſas ſectas progeneravit, Heracliteam nimirum, Eleaticam, Pyrrhoniam, & Epicuream, quæ nunc ordine referendæ ſunt. Heraclitea &

Quæ ſecta Heraclitea? originem, & nomen, & fere etiam interitum accepit ab Heraclito Epheſio, homine perquam elati ſupercilii, aliorumque omnium contemtore, quorum etiam odio ſolitudinem petiit, vitamque in montibus, herbis tantum & oleribus victitans egit, donec corporis ægritudine in urbem redire compelleretur. Cum junior eſſet, ſe nihil ſcire: ut vero conſenuit, ſe nihil ignorare dicere ſolebat: audivit primum Xenophanem, tum Hippaſum Pythagoræum, quorum placita cum iis, quæ ab Orpheo mutuavit, commixta in opus quoddam digeſſit, quod in Dianæ fano eo fine occultavit, ut fortuito inventum ſublimiſſimis myſteriis refertum, ac prope divinum crederetur; ſed fraus ea ſucceſſu caruit. Sectatores habuit paucos, eoſque obſcuri nominis, quod adſcribendum videtur tum abſurdis, quas fovebat, opinionibus, tum obſcuritati, quam ſive in docendo, ſive in ſcribendo ita affectavit, ut paſſim ab omnibus ὁ σκοτεινὸς compellaretur.

Cic. de fin. l. 2.

Quæ ſecta Eleatica? XXV. Eleatica ſecta ab urbe Elea, ſeu Velia magnæ Græciæ, ex qua præcipui ejuſdem

dem philoſophi oriundi erant ; nomen : originem vero a Xenophane Colophonio obtinuit. Cum contenderet univerſum hoc æternum eſſe, neque fieri ulla ratione poſſe, ut quidquam ex nihilo fiat, ſyſtema male cohærens, ac prorſus impium contexens, Spinozæ de una totius univerſi ſubſtantia, eaque divina præluſit. Xenophani in ſcholæ regimine ſucceſſit Parmenides Eleates genere, & opibus clarus ; verùm clarior eo, quod abſurdæ magiſtri ſui doctrinæ aliam indiderit formam ; hunc excepit Meliſſus Samius, quem inſecuti ſunt Zeno Eleates dialecticæ auctor, ut teſtatur Ariſtoteles apud Laertium : Leucippus pariter Eleates, qui antiquam Moſchi Phœnicii de atomis doctrinam primus in Græcia ſuſcitavit : Democritus Abderites, Protagoras ob librum, quem his verbis exorſus eſt : „ de Diis quidem ſtatuere nequeo, an „ ſint, nec ne? Sunt enim plurima, quæ id „ ſcire prohibent : „ ab Athenienſibus exilio mulctatus, concrematis publico in foro ejus ſcriptis : & denique Anaxarchus rurſus Abderites, ob ſingularem animi conſtantiam, & vitæ tranquillitatem *Fortunatus* dictus. *Bayle dict. cri. art. Xenoph.*

Quis Democritus?

Democritus porro ex mente Apolodori ortus eſt anno primo Olymp. 80*ma*, atque inde annis ante Chriſtum circiter 458. Prima litterarum rudimenta Abderæ a Magis, & Chaldæis quos Xerxes ibi reliquerat, accepit ; tum aliquo tempore Leucippum, & Pythagoræorum nonnullos ſectatus, tandem Chaldæam, Perſiam, Indiam, Æthiopiam, ac Ægyptum eruditionis cauſſa peragravit : ubi vero in patriam rediit, ſectam Eleaticam, & imprimis Leucippi de atomis ſyſtema ad majorem perfectionem adduxit. Vir erat meditationi magnopere deditus, a qua ne tam facile avocaretur, in ſubterranea quadam ex-

Cic. qq. tuſc. l. 5. tra mœnia ſpecu habitaſſe, & denique ſe ipſum oculis orbaſſe ferunt.

Quæ ſecta Pyrrhonia? XXVI. Pyrrho Eleates natus anno ante Servatorem 374*to*, primum Anaxarcho magiſtro uſus eſt; deinde vero novam condidit ſectam a ſe Pyrrhoniam: ab inquiſitione veritatis Zeteticam *ἀπο τȣ ζητειν*, a ſuſpenſione judicii Epheticam *ἀπο τȣ ἐπεχειν*, a dubitationibus Aporeticam *ἀπο τȣ ἀπορειν*, ab eo demum, quod diſpiceret ſemper, & verum non reperiret, Scepticam *ἀπο τȣ σκεπτειν* dictam. Docuit ſiquidem nihil omnino comprehendi poſſe, neque in rerum natura quidpiam eſſe, quod verum ſit, aut falſum, honeſtum, aut inhoneſtum, juſtum, ſive injuſtum; ſed ea omnia ab hominum tantum opinione, lege, aut conſuetudine proficiſci: univerſim proinde de rebus omnibus dubitandum, nec ullum umquam aſſenſum præſtandum eſſe. Neque vero ab abſurda adeo doctrina, vita, moreſque abluſerunt; ut enim ſe de rebus prorſus omnibus dubitare comprobaret, noluit umquam currus, equos, aliaque in via occurrentia declinare, paſſurus certo gravioris detrimenti quidpiam, niſi amici ejus interea ſaluti proſpexiſſent: quamquam etiam aliquando, ſui quaſi oblitus, canem in ſe irruentem fugere ſit deprehenſus; eam ob cauſſam cum a nonnullis rideretur, repoſuit: „ difficile eſt hominem, penitus exuere, ſed „ contendendum tamen, primum quidem „ agendo, quantum fieri poteſt, adverſum „ res, tum poſtea ratiocinando. „ Celebriores inter diſcipulos, quos nactus eſt Pyrrho, fuerunt Eurylochus, Philo Athenienſis, Hecatæus Abderita, Nauſiphanes Tejus, quem Epicurus audiviſſe fertur, & Timon Phliaſius ejus in ſchola ſucceſſor, quocum ſecta hæc penitus periiſſet, niſi poſtliminio a Ptole-

lemæo Cyreneo fuiſſet reſtituta, ut refert Menodotus apud Laertium, qui ſimul Ptolemæi ſucceſſores longa ſerie enumerat: ſed non attinet eos hic ſingulatim referre. Sextus ſolum Empiricus præteriri non debet; floruit is temporibus Antonini Pii Imp. conſcripſitque decem de philoſophia ſceptica libros, qui hodie adhuc in plurium verſantur manibus. *L. 9.*

XXVII. Epicurea ſecta auctorem habuit Epicurum Atnenienſem, natum patre Neocle ludimagiſtro, ut ait Cicero, anno tertio Olyp. 109*næ*, ante Chriſtum ciciter annis 340. Cum ætatis ageret annum 14*tum*, philoſophicis ſe ſtudiis totum tradidit, in quibus tamen a nullo ſe inſtitutum, ſed omnino αὐτοδίδακτον eſſe frequentius gloriari ſolebat: anno vero 32*do* publice docere aggreſſus eſt primum quidem Mitilene, tum Lampſaci, poſtremo Athenis, ubi eum in finem hortum quemdam coemerat. Atque inde factum eſt, ut ejus ſectatores οἱ ἀπὸ τῶν Κηπων, ex hortis philoſophi dicerentur. Numerum diſcipulorum nactus eſt prorſus inauditum, quippe cum non modo ex Græcia, verum ex Aſia quoque, & Ægypto frequentiſſimi confluerent, inter quos præ reliquis claritatem nominis adepti ſunt Metrodorus a Cicerone pæne alter Epicurus dictus; Poliænus ab ipſo moriente ſcholæ præfectus, & Leontius, omnes Lampſaceni. Neque vero deinceps ea ſectatorum copia imminuta eſt; nam & continua horti, ſive ſcholæ præfectorum ſucceſſio, ut Suidas teſtatur, explevit ſpatium 237. annorum ad tempora uſque Julii, & Auguſti Cæſarum, & ea quoque ætate inter viros ſummos, & reipublicæ principes Epicuræ ſectæ adhæſiſſe quam plurimos, tantaque magiſtrum ſuum veneratione proſecutos fuiſſe, ut ejus imaginem non modo in tabulis, ſed in poculis etiam, & annulis inſculptam ge-

Quæ Epicurea? — De nat. D. l. 1. c. 6. — Idem l. c. — De fin. l. 2. c. 28. — De fin. l. 5. c. 1.

ſtarent, ex Cicerone palam fit. Quin & Palæſtinam pervaſit hæc peſtis; Sadducæi enim quod nomen vel a ſuo capite Sadoc ſacerdote, vel a juſtitia, Hebræis צדק, cujus eximios ſeſe cultores venditabant, obtinuerunt, præcipua Epicureæ doctrinæ capita amplexi ſunt: Dei quippe providentiam, animi humani immortalitatem, & reliquorum ſpirituum ſive bonorum, ſive malorum exſiſtentiam ſuſtuliſſe feruntur. Epicuri porro philoſophia in tres erat diviſa partes. Prima, ſive ut ajebat, canonica, cum de veritate, ejuſque criteriis breviter ageret, varioſque de *ſenſibus*, *prænotione*, *voluptate*, ac *vocibus* canones proponeret, logicæ vices ſubiit: fuſiorem enim veluti meras ſophiſtarum cavillationes omnino reſpuebat, quod Cicero in illo reprehendit. Altera continebat phyſicam, in qua ſyſtema Democriti elaboravit, multaque de Deo, & anima humana impie prorſus effutiit „ extrahens, ut ait Cicero, religionem cum Diis immortalibus, re tollens, oratione relinquens Deos. „ Tertiam demum partem conſtituebat ethica, in qua principium, & finem vitæ vere beatæ in voluptate ſitum eſſe contendit.

Quis Sadducæi?

Acad. l. 2.

De nat. D. l. 1.

Quæ ſecta Eclectica?

XXVIII. Hæc de antiquis Græcorum philoſophorum ſectis dicta ſufficiant, quæ dum magna animorum contentione ſive in ipſa Græcia, ſive in Italia inter ſe confligebant, aliud interea, novumque philoſophiæ genus Alexandriæ in Ægypto, imperante Romæ Auguſto, caput extulit. Alexandriam quippe omnis generis eruditi id temporis confluxerant, ſumma ad litterarum ſtudia opportunitate, quam Ptolemæorum liberalitas & inſignis bibliotheca, quæ tum parem in orbe non habuit, ſuppeditavit, allecti. Ejus doctrinæ ſumma erat, in nullius magiſtri verba jurandum, ſed veritatem ex omnibus philo-

ſo-

ſophorum ſectis conquirendam , nec quidquam , niſi ratione conſulta , & maturo judicio recipiendum eſſe.

Hujus inuſitatæ adhuc, licet probatiſſimæ, philoſophandi rationis auctor extitit Potamon, ſectaque ab eo fundata (ſi tamen ſecta dici poſſit) Eclectica ab ἐκλεγειν appellari conſuevit : crevit autem plurimum, ubi Ægyptus veræ religionis lumine colluſtrata fuit, quod haud longo poſt tempore evenit ; complures enim ex iis, qui hanc methodum ſectabantur , philoſophis doctrinam evangelicam amplexi celeberrimam eadem in urbe pro Chriſtianis ſcholam erexerunt & gubernarunt etiam , ex qua ſubinde tot viri & morum integritate, & divina , humanaque ſapientia clariſſimi prodiverunt , quales fuerunt S. Juſtinus M. Neapoli *Syriæ* oriundus , S. Irenæus , atque imprimis illud Alexandrinæ philoſophiæ decus S. Catharina , quam Orthodoxi philoſophi præſidem hodie ſuam venerantur. Quis ejus auctor?

XXIX. Primus, quantum conſtat, Chriſtianus philoſophus Eclecticus, ſcholæque rector teſte Phil. Sideta fuit Athenagoras, quem ſecuti ſunt Pantenas, & Clemens Alexandrinus, qui hanc philoſophandi rationem & fuſius declarat, & magnis laudibus effert ; poſtquam enim multa attuliſſet in philoſophiæ laudem , quam divino munere hominibus obtigiſſe ait, ſubdit : Φιλοσοφιαν δε, ȣ την σοικην λεγω, ȣδε την πλατωνικην ἠ την ἐπικȣρειοντε και ἀριστοτελικην, ἀλλ ὁσα ἐιρηται παρ' ἑκαστη των αἱρεσεων τȣτων καλως δικαιοσυνην μετα ἐυσεβȣς ἐπηστημης ἐκδιδασκοντα, τȣτοσυμπαν το ἐκλεκτικον φιλοσοφιαν φημι „ Philoſophiam autem „ non dico Stoicam , nec Platonicam , aut „ Epicuream, & Ariſtotelicam, ſed quæcumque ab his ſectis recte dicta ſunt, quæ „ docent juſtitiam cum pia ſententia , hoc Qui in ea Chriſtiani? *Strom. l.1. c.7.*

 „ co-

„ totum ſelectam dico philoſophiam . „ Hi porro philoſophi Chriſtiani , etſi ex diverſis ſectis, Eclectici cum eſſent , quidquid caſtiſſimæ religioni non adverſaretur, ſeligerent , nihilo minus in moralibus præcipue Stoicos ; in dialecticis , & arte ratiocinandi Ariſtotelem ; in doctrina de Deo , geniis , animaque humana, & ceteris rebus immaterialibus Platonem ſequebantur ducem , ita tamen , ut huic primas in omnibus partes deferrent , putantes ejuſdem placita cum veræ religionis dogmatis facilius reliquis componi poſſe ; unde S. Auguſtinus de veteribus Platonicis non dubitavit affirmare , „ eos , ſi hanc vitam „ rurſus agere poſſent , paucis mutatis ver„ bis , ac ſententiis ad Chriſtianam religio„ nem acceſſuros eſſe . „ Clementem & audivit , & in ſcholæ præfectura ſecutus eſt celeberrimus ille inter Chriſtianos Doctor Origenes , qui ea ſapientiæ laude inclaruit , ut non Chriſtianorum modo juvenes, ſed & ipſi gentilium philoſophi maximo numero ad excipiendas ejus inſtitutiones confluerent . Poſt Origenem floruerunt Heracla ejuſdem ſucceſſor , S. Anatolius Laodiceæ Epiſcopus , qui a Platone deficiens primus Ariſtotelem Alexandriæ prælegit, Arnobius, Lactantius, Euſebius , Syneſius , S. Auguſtinus cum pleriſque Sanctis Eccleſiæ Patribus , qui omnes hanc philoſophandi normam tenuerunt . Verum bellorum tumultibus , odiiſque græcos inter , ac latinos ferventibus , accedente denique etiam Leonis Iſaurici in Philoſophos , eorumque ſtudia furore effectum eſt , ut jam a ſæculo fere ſexto omnis Eclecticæ hujus ſcholæ ſplendor deffueret , & in toto pæne Oriente ſapientiæ ſtudium elangueſceret , paucis ſolum relictis , qui claritate nominis temporum illorum barbariem illuſtrarent ; ſæculo nimirum ſexto Philoponus Alexandriæ mix-

Lib. de verrel. c. 4.

tam

tam ex Ariſtotelis, & Platonis placitis philoſophiam profeſſus eſt, infelix ſubinde abſurdiſſimæ Tritheitarum ſectæ auctor: ſæculo octavo Joannes Damaſcenus & ſanctitate, & ſapientia inclytus: ſæculo nono Leo Theſſalonicenſis Antiſtes, ac Photius Conſtantinopolitanus Patriarcha floruerunt. Movebat tum quidem omnia Leo ſextus Orientis Imperator ob inſignem, quam ſibi comparaverat, eruditionem, *Sapiens*, ac *Philoſophus* dictus, ut rem litterariam erigeret; votis tamen, & conatibus eventus haud reſpondit, non niſi Pſello quodam, ac Michaele Epheſio ſapientiæ fama tum quidem inclareſcentibus. Sæculo demum undecimo Michael Pſellus, conſcriptis in Ariſtotelem commentariis, excultaque Platonis doctrina viri eruditi nomen promeruit, eo quoque clarus, quod ipſum Imperatorem Conſtantinum Ducam inſtituerit, eique tantum litterarum amorem inſtillaverit, ut palam profeſſus ſit: „ Malle ſe litterarum glo„ria, quam imperio cognoſci. „ *Zonar. annal. l. 3.*

XXX. Eadem cum Clemente Alex. ætate ſub finem nempe ſæculi ſecundi, & initium tertii vixit Ammonius cognomento Saccas, Eclecticus licet philoſophus, novæ, tamen ſectæ Juniorum Platonicorum auctor: Natus is erat a parentibus orthodoxis, atque in Chriſtiana philoſophorum ſchola vel ab ipſo Clemente, vel a Pantæna inſtitutus, ubi tamen virilem ætatem attigit, ad avitam idololatriam turpiſſime defecit, ut teſtatur Porphyrius, cui præ Euſebio id negante fidem hac in re habendam eſſe eleganter commonſtrat Cl. Laur. Moshemius. Homo hic vaferrimus, quo religioni, quam deſeruerat, quibus poſſet artibus, noceret, eo primum curas intendit, ut, cum ipſi Chriſtiani Platonem ceteris præferrent philoſophis, eumque non multum a ſuis dogmatis diſſidere con-

Quæ ſecta Jun. Plat.? Quis Ammonius ejus auctor?

Diſſ. de turb. per Plat. Eccl.

Quæ e-jus do-ctrina ?

tenderent, ipſe oſtenderet, nihil novi a Chriſto, ac ejus ſectatoribus in orbem illatum eſſe, ſed ſanctiora etiam Chriſtianorum myſteria jam ab Academia olim & agnita & tradita fuiſſe: eam in rem ad ineptiſſimas allegorias, ad violentas verborum explicationes, ad tenebras, neſcio quas, confugit, ut Platonis ſententiis ſenſum a catholica doctrina minus abhorrentem appingeret; nec de nihilo eſt ſuſpicio, eum genuinos Platonis, & Ariſtotelis textus multis in locis depravaſſe, ut arctiſſimum, quem volebat, eos inter circa primaria doctrinæ capita conſenſum exſculperet. Hac quippe duorum ex omni retro antiquitate philoſophiæ principum conſenſione ſatis occurri putabat Chriſtianorum doctoribus perpetuo occinentibus, Platonem a Moyſe, aliiſque Judæis plurima hauſiſſe, veritatemque in nulla gentilium ſchola umquam deprehendi potuiſſe, id quod tam acre, conſtanſque philoſophorum diſſidium clariſſime teſtaretur. Atque hac in re egregios ſuos inter aſſeclas auditores invenit, ac Porphyrium præcipue, qui librum exaravit περὶ τῶν μίαν εἶναι τὴν Πλάτωνος κ' Ἀριστοτέλους αἵρεσιν, de Platonis, atque Ariſtotelis conſenſu. Denique ex diverſis, præſertim vero ex Pythagoricis, Platoniciſque placitis monſtroſum prorſus philoſophiæ corpus confecit, cui nonnulla quoque ex ipſa Chriſtianorum diſciplina, quæ ad mores animique cultum pertinent, petita immiſcuit, quo palam fieret, nihil in ſua deſiderari philoſophia, nec eſſe, cur ea rejecta homines ad Chriſtiana ſacra convolarent.

Luc. Holſtenius de vit. & ſcript. Porphyrii c. 9.

Quomodo ea propagata ?

per Italiam ?

XXXI. Non poterat anguſtis Alexandriæ finibus hæc philoſophiæ peſtis diu contineri, brevi ad finitimos quoque populos, & quidem Antiochiam, quæ Syriæ caput eſt, tranſiit: tum totam Italiam pervaſit, ubi Plotinus

nus Romæ ſcholam aperuit. Fuit Plotinus celeberrimus poſt Herennium Ammonii diſcipulus, vir acris quidem ingenii, ſed ultra modum fanaticus, nactus & ipſe diſcipulos Amelium Tuſcum, qui maluit Amerius nuncupari, Paulinum Scythopoliten, Euſtochium Alexandrinum, Zethum Arabem, Zothicum, Caſtricum, Firmum, Marcellum, Orontium, Sabinillum, & Rogatianum Senatores Romanos, Serapionem Alexandrinum, quorum omnium facile princeps exſtitit Porphyrius (Malchus patria lingua dictus) infenſiſſimus hoſtis Chriſtianorum, qui peſtiferam hanc doctrinam per Siciliam, aliaſque Romani orbis provincias partim ore, partim ſcriptis magiſtri ſui a ſe emendatis, & in ſex Æneadas digeſtis propagavit. Haud diu poſt Jamblychus Chalcidenſis ex Cæleſyria, qui una cum Theodoro Aſinenſi a Porphyrio inſtitutus eſt, florere cœpit: cum Ægyptiam, & Pythagoræam philoſophiam magis excoleret, atque facto ex ea, & Platonica delectu Eclecticam majoribus ornamentis, & firmioribus, ut putabat, contra Chriſtianos armis inſtruere niteretur, eam ſibi doctrinæ famam comparavit, ut paſſim *magnus philoſophus*, *admirandus*, *diviniſſimus*, & a Juliano Imperatore *commune orbis emolumentum* compellaretur. Jamblycho ſucceſſit Ædeſius, ex cujus inſtitutione prodierunt Antoninus, eamdem ſubinde doctrinam Alexandriæ profeſſus, Chryſanthius, Sardianus Priſcus, Euſebius Myndius, & Maximus: horum, ac præcipue quidem Maximi perverſis doctrinis, ac eruditis fraudibus effectum eſt, ut Julianus imperatoriam, qua fulgebat, dignitatem fœdiſſimâ defectionis labe commacularit. Sed neque Græcia a venenoſis hiſce erroribus diu immunis fuit; Plutarchus enim Athenienſis Alexandria, ubi Hieroclem, & Olympiodorum

Socrat. hiſt. eccl. l. 3. c. 1.

perGræciam? audiverat, Theodoſii Imp. ætate, ſub finem nempe ſæculi quarti redux philoſophiam hanc male conſarcinatam Athenis publice prælegit, ſectatoreſque habuit, uti doctrinæ fama, ita acerrimo quoque, quo in orthodoxam religionem ferebantur, odio longe celeberrimos, Syrianum, Proclum, Marinum, Damaſcium, Simplicium. Ceterum hæc Juniorum Platonicorum, Chriſtianiſque adverſantium ſecta, uti ſub Juliano Apoſtata, qui ejus aſſeclas primis in republica muniis admovit, nihilque intermiſit, quod ad illius incrementum quoquo modo facere poſſet, ſummum ſplendoris apicem attigiſſe videri poterat; ita hoc e vivis ſublato magnis paſſibus ad interitum properavit, & jam ſub finem ſæculi quinti omnis fere Alexandrinæ, Athenienſiſque ſcholæ gloria deflioruit; ſæculo vero inſequente ultimam eidem cladem intulit Juſtinianus Imp., qui Eclecticos hos philoſophos, aut ſolum vertere, aut Chriſtianam amplecti religionem juſſit.

Æneas Gazæus dial. de immort. anim.

Quæ inter Romanos ſectæ? XXXII. Eclecticam philoſophandi rationem Romam a Plotino inductam fuiſſe diximus, non tamen propterea illud ſectarum ſtudium, quod jam ab eo, quo Græcorum ſapientia ad Romanos pertigit, tempore ſeſe explicare ſenſim cœperat, exſtinctum eſt. Atque ut ab origine rem breviter perſequamur: primum quidem Romani bellis ſolummodo intenti, ac philoſophiæ cultu animos frangi autumantes non magnum litteris honorem habuere; inde nulli fere ſub Regibus: pauci admodum ſub Conſulibus: complures vero Monarchia jam conſtituta ſapientiæ laude inclaruerunt, qui prout diverſas probarent opiniones, diverſas quoque ſectas excoluerunt: nimirum Academicam M. Brutus, M. Terentius Varro, M. Piſo, & M. T. Cicero; Pythagoræam Ennius, & Nigidius Figulus; Stoicam Scipio Afri-

Africanus, Mutius Scævola, Cato Uticenſis, L. Annæus Seneca Cordubenſis Neronis magiſter, Epictetus Hierapoli in Phrygia natus, cujus omnis philoſophiæ ſumma his continetur: *ἀνέχου, καὶ ἀπέχου*, *ſuſtine, & abſtine:* Peripateticam Tyrannio cum Andronico Rhodio protractis in lucem Ariſtotelis, ac Theophraſti libris, Alexander Aphrodiſienſis, qui in Ariſtotelem commentatus eſt, & primus Romæ ſcholam Peripateticam a M. Aurelio, & L. Vero Impp. erectam gubernavit, ac denique Boethius ſcriptis 5. de conſolatione philoſophiæ libris clariſſimus: Epicuream Lucretius, latinis eam doctrinam verſibus complexus, Plinius Junior, Lucianus, Laertius: Platonica demum dogmata adoptarunt Traſyllus, Alcinous, Taurus Berytius, qui Gellium auctorem noctium atticarum: Apulejus, Atticus, Numenius, Maximus Tyrius, qui M. Aurelium Imp. & Plutarchus Cheronenſis, qui Trajanum, & Hadrianum Impp. inſtituit. Sed neque Romanis diu licuit eſſe philoſophis; cum enim barbarorum incurſionibus ampliſſimum eorum collaberetur imperium, reſpublica quoque litteraria prorſus concidit, Gothis non in homines modo, urbes, ac ædificia, ſed in ipſa etiam antiqua litterarum monumenta ultra modum ſævientibus.

XXXIII. Exſul interea Romano imperio philoſophia apud Arabes, qui ſub finem ſæculi octavi, & noni principium latiſſimum ſubactis quam plurimis in Africa, Hiſpaniaque provinciis dominatum adepti ſunt, aſylum invenit: Almaimonis tum regni gubernacula tenentis cura, ac ſollicitudine effectum eſt, ut litterarum amor in populo ceteroquin inculto aliquantulum efflorеſceret. Primi ejuſdem fructus exſtiterunt verſiones nonnullæ librorum Ariſtotelicorum e Græco in Arabicum, quæ tamen ob ignorantiam linguæ

Quomodo Philoſophia in Arabia revixit? *Salmaſius in præfat. ad tabul. Cebet.*

Græcæ ſatis infeliciter ceſſerunt : alii commentationes ſuas addiderunt, in quibus, cum auctoris mentem ſæpiſſime non aſſequerentur, proprias opiniones ſubſtituerunt, atque hac ratione Ariſtotelis opera egregie corrupta ſunt. Commentatorum horum celeberrimi fuerunt, Auerroes Cordubenſis, Alpharabius, Jacobus Alkindius, & Avicenna, qui præcipue judicio Rhodigini, Ariſtotelis textum mutilavit, multaque commentitia intulit : alii demum ipſas has verſiones Arabicas in latinum non meliori ſucceſſu tranſtulerunt, novumque quaſi Ariſtotelicæ philoſophiæ corpus, quale nempe ex lacunis iſtis, ac ineptis verſionibus fieri poterat, confecerunt, quod paullo poſt in Oxonienſem, tum & in Pariſienſem, reliquaſque Europæ Academias a Carolo M. jam antea fundatas illatum eum dominatum obtinuit ultra 500. annos duraturum, ut vel latum unguem a prætenſa hac Ariſtotelis doctrina recedere religioni duceretur. Ita mutata repente rerum facie Plato ex Chriſtianis ſcholis abire, locumque Ariſtoteli cedere eſt coactus, quem Oxonii Joannes Scotus, Robertus Pulleinus, Simon Dunelmenſis, S. Edmundus Epiſcopus Cantuarienſis, Magiſter Hugo, Joannes Blond ordine prælegerunt. Occupata ſubinde anno 1453. a Turcis Conſtantinopoli complures Græci eruditione conſpicui in Italiam confugerunt, allatis ſecum Græcis Ariſtotelicorum operum exemplaribus, ex quibus novas, multoque accuratiores verſiones procuderunt, id quod ad emendandos, qui in prioribus irrepſerant, errores non parum contulit. Interpretum horum præ reliquis famam ſibi compararunt Theodorus Gaza, Joannes Argyropylus, Byzantinus, qui Græcorum primus Romæ peripateticam publice profeſſus eſt, & qui huic ſucceſſit, Georgius Trapezuntinus, ac demum Gen-

L. antiqq. Lect. c. 2.

Quomodo in Italia?

Gennadius acris Platonicorum inſectator; nam & tum nonnulli, ut Platonis philoſophia reſtitueretur, operam dabant, quos interfuerunt Gemiſtus, Pletho, Beſſarion Trapezuntinus, Romana poſtmodum purpura inſignis, Marſilius Ficinus editis latino idiomate Platonis libris celebris; his adnumerari meretur Joannes Picus Princeps Mirandulæ, & Concordiæ Comes natus anno 1463., qui ob amplam ingenii vim, ac eruditionem ſæculi ſui *Phœnix* appellatus eſt.

XXXIV. Hæc porro Ariſtotelis philoſophia tanto ſtudio, ac fervore propugnata, quoniam fere ſola in ſcholis ſaltem præcipuis dominabatur, ſcholaſticæ cognomentum obtinuit; cumque contentioſa admodum eſſet, & dialecticas ſubtilitates ultra modum promoveret, fieri non potuit, ut diu unanimis perſiſteret, nec in diverſas quoque ſectas antiquorum exemplo abiret. Atque ab origine quidem in duas diſpeſcebantur partes doctores ſcholaſtici; Nominales alii, alii Reales dicti, quod illi univerſales naturas in vocibus ſolum conſiſtere, logicamque unice circa vocabula verſari: hi reapſe exſtare, atque res ipſas logicæ objectum eſſe contenderent. Nominalium princeps exſtitit Rucelinus Anglus: verum tum quidem brevi exſtincta poſtliminio revixit ſchola iſtæc in Guilielmo Occamo Oxonienſi Profeſſore *Doctore invincibili*, quem inſecuti ſunt Richardus Suiſſet, Gregorius de Arimino, Gabriel Biel, Petrus de Aliaco Cardinalis Cameracenſis. Joannes Gerſon Cancellarius Pariſienſis. Realium doctrinam jam olim a Boethio traditam ſæc. 12*mo.* ſuſcitavit Odo, ſeu Oudardus Abbas S. Martini Tornaci, poſtea Epiſcopus Cameracenſis, hunc ſecutus eſt Petrus Lombardus Epiſcopus Pariſinus Magiſter ſententiarum dictus propterea, quod SS. Patrum antiquorum ſententias

Quæ Philoſophia ſcholaſtica?

Quæ ejus ſectæ?

Morhof. Polyhiſt. t. 2. l. 1. c. 13.

Abreg. chron de Phiſt. Eccl. tom. 1. dans Siecl.

tias in ordinem redegit, ac expoſuit, in cujus opera commentatus eſt Alexander Halenſis *Doctor irrefragabilis* & *Fons vitæ*. Hos exceperunt B. Albertus M. Ratisbonenſis Epiſcopus, & SS. Thomæ Aquinatis & Bonaventuræ præceptor, qui conſcriptis quam plurimis libris Pariſiis, & Coloniæ Agrippinæ docuit; D. Thomas Aquinas Doctor Angelicus, a quo ſchola Thomiſtica deſcendit; S. Bonaventura Doctor Seraphicus, poſtmodum S.R.E. Cardinalibus adnumeratus; Ægidius Romanus *Doctor Fundatiſſimus*; Joannes Duns Scotus *Magiſter ſubtilis*, qui cum vehementer D. Thomæ doctrinam impugnaret, novam ſcholam, quæ Scotiſtica appellata eſt, erexit. Duabus tamen hiſce ſcholis Thomiſticæ nimirum, & Scotiſticæ, alii paullo poſt ſe oppoſuerunt, qui Neutrales dicti ſunt, quod nulli alioquin parti adhærentes Ariſtotelis ſolum placita in plurimis ſaltem, ac præcipuis defendebant. Infelicius longe Ariſtotelem propugnavit Petrus Pomponatius Italus vir argutus ceteroquin, at impius, aperta enim in opere a ſe compoſito atheiſmi ſemina ſparſit: ex ejus ſchola prodiit Jul. Cæſ. Vaninus extremo ob atheiſmum ſupplicio Toloſæ effectus. Atque ab his Hobbeſius deinceps, ac Spinoza monſtroſa illa abominandæ doctrinæ principia deſumſiſſe videntur.

Quomodo Philoſophia reſtaurata? XXXV. Cum ita maximo animorum æſtu res Ariſtotelis in ſcholis agebatur, parum abfuit, quin omnis pæne philoſophia in interitum rueret, relicta ſolum egregie de rebus abſtractiſſimis diſputandi arte, in quam illa denique deſiit. Non potuit ea res non juſtiſſimam iis, quibus acrior inerat intelligentiæ vis, indignationem movere; quare complures, diſpari tamen ſucceſſu, in diverſis Europæ partibus, qua libris editis, qua novis circa res naturales inventis, iiſque publicam

in lucem datis in id operam contulerunt, ut philoſophiæ laboranti ſuccurreretur: qua demum ratione, accedente etiam ſummorum Principum cura effectum eſt, ut illa ad eum ſplendoris gradum, quem hodie feliciter tenet, tardiſſimis licet paſſibus, perveniret. Jam igitur Novatorum in philoſophia præcipui ſunt promendi.

XXXVI. Etſi jam olim Raymundus Lullius ex nobili inter Majoricanos genere anno 1235. progenitus conſcribendo primum novam Logicam ſub nomine Artis Magnæ, ejuſque dein epitomen Artem Parvam, unde Ars Lulliſtica, a multis probata, a pluribus rejecta ortum traxit: tum etiam Laurentius Valla in Italia Ariſtotelem acerrime impugnando primam Novatorum gloriam quæſiverunt, eam tamen Morhoſius attribuit Bernardino Teleſio Conſentino ex oppido Calabriæ, qui novem libris de rerum natura ſecundum propria principia anno 1587. compoſitis prægrandi Peripateticorum turbæ bellum indixit, ac Neapoli Academiam Conſentinam auſpicatus eſt. Eodem quoque tempore floruit Petrus Ramus natus anno 1515. Regius Pariſiis eloquentiæ, ac mathematum Profeſſor, acerrimus omnium veterum inſectator, ut nec Cicero mordaces illius dentes effugere potuerit: magno ſtrepitu id egit, ut ejecto e ſcholis Ariſtoteli ſua ipſius philoſophia ſubſtitueretur, atque hunc in finem conſcripſit tres dialecticarum diſputationum libros munus novæ logicæ obituros; tum animadverſiones adverſus Ariſtotelis organum, ac denique dialecticam magno ab iis ſtudio apprehenſam, qui ſubinde Ramei, vel Ramiſtæ dici voluerunt. Verum non diu poſt philoſophia hæc publico Franciſci I. decreto ex Galliarum regno exſulare juſſa eſt. His accenſeri poſſunt Thomas Hobbeſius recentiorum tempo-

Qui Novatores in philoſophia?

Polyhiſt. t. 2. l. 1. c. 15.

rum

rum Epicurus, & Theophraſtus Paracelſus Pater Enthuſiaſtarum a Morhofio dictus; ille Malmesburi in Anglia anno 1588. prognatus præter logicam, quam computationum titulo edidit, conſcripſit elementa philoſophiæ in tres partes diviſa, de corpore, de homine, de cive; his addidit librum Leviathanis nomine inſignitum, in quibus doctrina prorſus virulenta, manifeſtaque atheiſmi, ac tyrannidis principia continentur; hic Eremum B. V. in Helvetia anno 1493. locum natalem habuit, Saliſburgi vero, ubi diutius commoratus eſt, anno 1541. obiit; ſtudio novandi abreptus mixtum quoddam ex theologia, ac philoſophia chaos confecit. Qui ex ejus ſchola prodiverunt, Chymici appellati ſunt; eorumque gregem duxit Joannes Eſpagnet Burdegalenſis Curiæ Præſes.

Qui ejus Inſtauratores?

XXXVII. Meliori longe ſucceſſu in reparandis litteris elaboravit Franciſcus Baco de Verulamio Anglus, regnique Cancellarius vulgato circa annum 1620. novo organo ab adhuc notis & fine, & methodo, & inquirendi principiis prorſus diverſo, quod Peripateticorum logicæ, ſicut & inſtaurationem magnam eorum phyſicæ oppoſuit: qua re, tum & muneris dignitate, & doctrinæ ingentis fama ſæculi ſui eruditos excitavit, ut adumbratam ab ipſo novam philoſophandi rationem & excolerent magis, & deinceps ſequerentur. Id quod egregie præſtiterunt Blaſius Paſchalis in Gallia, Galilæus, ejuſque diſcipulus Evangeliſta Torricellius in Italia, Otto Guerickius in Germania, Robertus Boyleus in Anglia, aliique complures, qui omnes in excollenda philoſophia, ac præcipue quidem phyſica non ſine ingenti fructu deſudarunt. Atque hac demum ratione effectum eſt, ut Ariſtotelis auctoritate in ſcholis ſenſim decreſcente philoſophia novam faciem indue-

duerit: at quod jam olim ejus incrementis plurimum obfuit, ne tum quidem ſatis præcaveri potuit, ſectarum varietatem intelligo; ea enim invaleſcente contingit, ut philoſophi quam frequentiſſime, non quod in quaque re veriſſimum, ſed quod magiſtri ſui placitis magis conformatum videtur, adoptent; neque tam veritatis inquirendæ, quam receptæ antea opinionis tuendæ ſtudioſi efficiantur. Has jam ſectas, quas communi nomine Recentiores, ſive Neotericas vocant, breviter attingendas eſſe res ipſa loquitur. Quæ novæ ſectæ exortæ?

XXXVIII. Familiam in iis ducit Gaſſendiſtica a Petro Gaſſendo Presbytero Eccleſiæ Dinienſis in Gallia Præpoſito, ac Regio in academia Pariſina matheſeos Profeſſore, nato anno 1592. Epicuri is partes ſuſcepit, ejuſque de atomis ſyſtema, repudiatis illis, quæ cum religione male cohærebant, emendatum phyſicæ recentiori accommodavit, quo labore multorum tulit approbationem, nec parvus eſt numerus eorum, qui eam doctrinam ſibi ſequendam eſſe putarunt, quos inter emminuerunt Franciſcus Bernerius, Neuræus, Gualterus Charleton. Quæ Gaſſendiſtica, & quis Gaſſendus?

XXXIX. Renatus des Cartes (vulgo Carteſius) Hagæ Turonum anno 1596. ex illuſtri inter Armoricos genere ortus, aliam ſub idem fere tempus ſectam exorſus eſt, quæ ab ipſo Carteſianæ cognomentum tulit. Poſtquam amœniores litteras egregie condidicerat, atque philoſophiæ etiam curriculum Flexiæ emenſus fuerat, complures annos partim militando, partim per Germaniam, Italiamque peregrinando conſumſit; tandem in Hollandiam ſe recipiens, ampliſſimis muniis, quibus ſeu in Anglia, ſeu in Gallia ornari poterat, rejectis, totum ſeſe meditationibus philoſophicis, inſtituendiſque experimentis, ac naturæ effectibus ad leges geometricas revocandis in Quæ Carteſiana, & quis Carteſius?

villa

villa Egmondana tradidit; hic aſſiduo 25. annorum labore novum philoſophiæ ſyſtema ab aliis, & methodo, & dogmatibus plurimum diſcrepans confecit, atque in lucem, dedit. Dici vix poteſt, quanta, quamque diverſa animorum motione illud fuerit exceptum; obſtrepentibus enim aliis, & acerrime novam doctrinam impugnantibus, alii, & longe quidem plures ambabus, ut ajunt, ulnis eam amplexi ſunt, quo etiam factum eſt, ut ea breviſſimum intra tempus per totum Belgium, Galliam, Angliam, ac plures Germaniæ partes ſeſe diffuderit, nactaque ſit ſectatores, & quam plurimos, & quam clariſſimos: eorum ex numero alii Carteſiana dogmata commentationibus ſuis illuſtrarunt, ut Joannes Claubergius, Joannes de Ræy, Thomas Cornelius, Chriſtianus Hugenius, Daniel Lipſtorpius, quibus addi debet Cl. Cordemoy: alii ea in compendio exhibuerunt, ut Silvanus Regius, Franciſcus Bayle, Antonius le Grand, Jacobus Rohault: alii denique nonnullis immutatis ſuas addiderunt opiniones, ut Robertus Boyle, Henricus Mohre Anglus uterque, Molierus, Hartſœkerus, Hamelius, Purchotius, Malebranchius; ſed horum poſtremus modum exceſſit, & in peculiari ſuo de ideis ſyſtemate, quod Carteſii principiis ſuperſtruxit, ab enthuſiaſmo, & fanatiſmo prope abeſt. Huc quoque referri debet Benedictus Spinoza, qui ubi Judaicam ſuperſtitionem, quam materno cum lacte combiberat, natus Amſtelodami anno 1632. cum Chriſtianis ſacris commutaſſet, omnem tandem in ſuperos pietatem exuens, Atheus evaſit, ediditque principia philoſophiæ Carteſianæ geometrice demonſtrata, tum Ethicam methodo geometrica demonſtratam, tractatum theologico-politicum, aliaque nonnulla opuſcula, in quibus omnibus male intortis Car-

teſii

teſii principiis ad ſtabiliendum atheiſmum abuſus eſt, & ut ſe genuinum Hobbeſii diſcipulum teſtaretur, virus illud, quod is aliqua tamen ratione occultare ſtuduerat, aperte evomuit.

XL. At vero non longo poſt tempore potentem nacta eſt philoſophia Carteſiana in Anglia adverſarium Iſaacum Nevvtonum anno 1642. in lucem datum, a quo Nevvtonianorum ſecta ortum ducit. Oppoſitam ille prorſus inivit philoſophandi rationem; cum enim Carteſius ad naturalium effectuum examen non deſcendendum eſſe, niſi cognitis antea cauſſis, putaret; ipſe contra ex effectibus cauſſas inquirendas, docuit, id inſuper adjiciens: nullam umquam a philoſopho cauſſam aſſignari debere, niſi cujus veritas aut ratione, aut experimentis liquide demonſtrari queat; quo principio fabuloſæ Carteſii hypotheſes penitus evertuntur. Doctrina hæc, novaque philoſophandi methodus partim in opere, quod inſcripſit Principia Philoſophiæ Mathematica, partim in optica propoſita ita eruditis omnibus ſeſe probavit, ut hac, qua vivimus ætate, eorum fere nullus ſit, qui eamdem non profiteatur. Longum foret enumerare eos omnes viros & a ſcientia experimentali, & a geometriæ, algebræque ſublimioris peritia clariſſimos, qui inde jam ab origine hoc ſyſtema, & propugnandum, & doctis ſuis laboribus excolendum ſibi ſumſerunt, quos inter præcipuum ſibi locum vindicant S'Graveſandius, Muſſenbroeckius, Clarkius, Keilius, Mac-Laurinus, Jurinus, Deſagullierius, Krafftius, & celeberrimi in principia philoſophiæ mathematica commentatores Le Seur, & Jacquier. His accenſendus eſt ſæculi noſtri decus Rog. Joſephus Boſcovich olim in collegio Romano, dehinc in Regia Ticinenſi academia mathema-

Quæ Nevvtoniana, & quis Nevvtonus?

Quis Boſcovichius?

tum

tum Profeſſor, qui tum in compluribus opuſculis, tum & præcipue quidem in Theoria philoſophiæ naturalis primum Viennæ anno 1758. edita, dein Venetiis anno 1763. recuſa Nevvtonianam Theoriam ita vel deduxit; vel emendavit, ut eam ſibi gloriam omni jure vindicet, quæ ſyſtematum auctoribus & ſectarum principibus debetur. Elaboratum a Boſchovichio ſyſtema adoptarunt, & eruditis lucubrationibus illuſtrarunt Carolus Benvenuti Romæ, Carolus Scherffer, & Paulus Mako Viennæ, Leopoldus Bivvald Græcii.

Quæ Leibnitiana, & quis Leibnitius? XLI. Quo tempore Anglia ſuo gloriabatur Nevvtono, Germaniam noſtram Gotofredus Guillielmus Leibnitius, magnum inter eruditos nomen, illuſtravit Lipſiæ anno 1646. mundo datus. Scholaſticorum ille quidem philoſophiam non ex integro repudiandam, in multis tamen emendandam eſſe cenſuit; eam in rem obſcuras confuſaſque eorum notiones ad claras, & diſtinctas reduxit; terminos inanes, quibus illorum ſcripta ſcatebant, exſtirpavit; methodum denique mathematicam in auxilium vocavit. Atque hanc ſuam mentem tum in Theodicæa, tum in Hypotheſi phyſica nova, tum in aliis compluribus opuſculis, quæ actis Lipſienſibus eorum temporum inſerta ſunt, palam fecit. Hoc porro labore, tum iis etiam, quæ in matheſi ſublimiore præſtitit, excellentis doctrinæ famam ſibi comparavit, nactuſque eſt ſectatores in Germania præcipue non paucos, ex quibus Leibnitianorum ſecta hodie in metaphyſicis præcipue florens conflata eſt. Quis Volfius? Omnium anteſignanus eſt Chriſtianus Volfius magno editorum voluminum numero clariſſimus, quibus omnes philoſophiæ partes, ac matheſin univerſam eſt complexus: hunc ingens turma comitatur eorum, qui logicam, ac metaphyſicam ad mentem Leibnitii con-

cin-

cinnarunt; ſed non attinet eos nominatim recenſere, cum in omnium fere manibus verſentur, nec niſi Volfiana premant veſtigia. Prætereundus tamen non eſt Joach. Georgius Daries, qui in Elementis Metaphyſices Jenæ anno 1753. recuſis Leibnitium, Volfiumque ita ſequitur, ut vere ſolam ipſorum methodum retinuiſſe, cetera de ſuo attuliſſe videatur. Ad extremum hic loci diſſimulandum non eſt, Leibnitium, uti eruditis ſuis laboribus ad logicæ præſertim, & metaphyſicæ ſplendorem plurimum contulit, ita abſtractis, quibus plus æquo indulſit, ratiociniis, ad opiniones quaſdam non parum abſurdas delapſum fuiſſe; id quod in metaphyſica ſolidis rationibus demonſtratum ibo.

Qui præterea Philoſophi celebres?

XLII. Adnectendi hic forent ii, qui ab eo, quo inſtauratæ ſunt litteræ, ad noſtra uſque tempora eclecticam philoſophandi libertatem ſecuti, ſeu privato ſtudio, ſeu conjuncto cum aliis labore vel philoſophiam univerſam, vel quampiam illius partem nominatim excoluerunt; ſed infinitus prope horum eſt numerus, & longior ne ſim, prohibet præſtituta operi brevitas. Quare commemorare nolo Peurbachium, Regiomontanum, Copernicum, & Tychonem Brahæ utrumque ſyſtematis mundani conformatione celebrem, Keplerum, Hevelium, de la Hirium, Caſſinium, Hombergium, l'Emerium, Moriottum inſtitutis de motu, plantis, aquis, coloribus &c. tentaminibus, ac Ottonem Guerickium inventione machinæ pneumaticæ clarum; tum neque Maraldum, Malapertium, Levvenhockium, Jalabertum, Noletum, Bernoullium utrumque, Eulerum. Prætereo quoque complures alios illuſtres viros: Clavium, Scheinerum, qui primus in ſole maculas detexit, Guldinum, Kircherum, Schotum ex Germania: Cabeum,

Zucchium, Grimaldum, Ricciolum, „ qui in „ re aſtronomica præ ceteris omnibus laudandus unus bibliothecæ inſtar eſſe poteſt „ ut ait Morhofius, Caſatum, Philippum Bonani, Franciſcum de Lanis, cujus fontibus (libro Magiſterium naturæ & artis inſcripto) plures recentiorum Phyſicorum ſuos hortulos irrigarunt, ex Italia: Fournierium, Claudium Milliet de Chales, Pardies, Daniel, Tournemine, Regnault, Caſtel ex *Gallia* oriundos. Præterea denique quam plurimos alios, quorum doctis laboribus hodierni eruditi plurimum debent, atque huic prolegomeno finem impono, id ſolum adjungens: tum demum maxima philoſophiæ incrementa acceſſiſſe, ubi ſuam in tutelam ſummi terrarum Principes eamdem ſuſceperunt, ejuſque commoda qua erectis Academiis, qua conſtitutis doctiſſimorum virorum ſocietatibus promoverunt, ſummo & litteras, & litteratos homines favore proſequentes; qua in re quid olim Carolus M. in Germania, Gallia, & Italia; quid deinceps in Italia Paulus II. P. M. & Leopoldus Magnus Herruriæ Dux; in Anglia Carolus II.; in Gallia Ludovicus XIII. & XIV,; in Germania Leopodus M. Imp. Rom. in Boruſſia Fridericus Rex; in Moſcovia Petrus Imp. præſtiterint, notum eſt: quanta vero ab Auguſta Magnæ Thereſiæ Noſtræ munificentia in hanc Academiam profluxerint ornamenta, argumentum eſt non tam exiguo in opere pertractandum, quam grato omnium noſtrum animo recolendum.

Polyhiſt. phil. t. 2. l. 4. §. 8.

PRO-

PROLEGOMENON
IN
LOGICAM.

§. XLIII.

MEntem, ſive animam noſtram facultate cognoſcendi pollere, nemo eſt, qui in ſe non experiatur. Facultas hæc, etſi per ſeſe ad veritatem tendat, frequenter tamen longe ab ea intervallo aberrat: normam igitur ſequatur quampiam, neceſſe eſt, qua in operationibus ſuis dirigatur.

XLIV. Quamdiu naturali tantum prudentia regimur, normam hanc diſtincte non cognoſcimus, neque rogati: cur hoc, vel illud ratiocinium vitioſum ſit? rationem clare eſ dicere poſſumus: fieri tamen interea poteſt, ut quis per longiorem uſum, & exercitationem habitum quemdam, ſive facilitatem obviam in compluribus rebus veritatem detegendi ſibi comparet. Habitus hic ipſa eſt *logica naturalis*. Quid logica naturalis?

XLV. Quodſi norma hæc diſtincte evolvatur, legeſque, ex quibus coaleſcit, deducantur, oritur inde *logica artificioſa*, quæ proinde Quid artificioſa?

inde aliud non eſt, quam ſcientia, quæ propoſitis explicate legibus facultatem cognoſcitivam in cognoſcenda veritate dirigit.

Coroll. 1. Logica artificioſa a naturali quoad ſubſtantiam non differt; eædem enim in utraque leges obtinent.

Coroll. 2. Leges, quas logica artificioſa perſpicue proponit, ex ipſa naturali mentis conſtitutione deſumendæ ſunt, quas nimirum ipſum rationis lumen, experientiæ, & obſervationes, ac denique diuturna meditatio ſuppeditant.

Quæ partitio totius operis? XLVI. Ex data logicæ artificioſæ definitione palam fit, quid in ea pertractare oporteat: agendum nempe eſt primum de facultate cognoſcitiva, quæ dirigitur; tum de veritate, quæ cognoſcitur; demum de ipſa veritatis cognitione, quæ expetitur. Atque hæc eſt generalis hujus operis partitio.

Quæ utilitas logicæ artificioſæ? XLVII. Utilitas logicæ artificioſæ latiſſime pertinet; abſque ea enim non modo nemo in ſcientia quacumque profundam, ſolidamque eruditionem obtinere; ſed neque in difficilioribus communis vitæ actionibus ſat providus, cautuſque eſſe poteſt; cum, qui ſola utitur logica naturali, & minus a frequenti errandi periculo removeatur, & majori commiſſum errorem emendandi difficultate prematur.

Coroll. Logica igitur primo loco ante omnia ſeveriora ſtudia condiſcenda eſt, quod & inde confirmatur: quia, antequam veritates ſpeciales, quæ in aliis diſciplinis occurrunt, inveſtigentur, natura veritatis generatim ſpectatæ perſpecta eſſe debet. Actum proinde agunt, qui cum Henrico Vinklero logicam metaphyſicæ poſtponendam eſſe in ordinata ſtudendi methodo contendunt.

Schol.

SCHOL. Logicam maximis paſſim laudibus efferri audias. Cicero eam vocat „ artem omnium „ maximam, ſine qua nihil recte excogitari „ nihil acute dici poſſit, veri, ac falſi diſce„ ptatricem, & judicem, „ S. Auguſtinus: „ diſciplinam diſciplinarum, ſcientiarum judi„ cem, atque formatricem. „ Et vero non eſſe majora meritis hæc præconia vel exinde patet, quod ubi primum logica magis exculta eſt, omnes illico ſcientiæ reliquæ lætius efflorescere cœperunt. Inſtauratæ porro logicæ gloriam poſt Laurentium Vallam, Rudolphum Agricolam, Petrum Ramum, & Verulamium jure ſibi vindicant Petrus Gaſſendus, Renatus Carteſius, auctorque artis cogitandi, quem alii Antonium Arnaldum; alii Nicolium, alii Troignyum, vel complures ex portu regio ſcriptores fuiſſe affirmant; hi tamen omnes efficere non potuerunt, ut logica eum ſplendoris gradum attingeret, ad quem ea ſubinde doctiſſimis Nicolai Malebranchii, Joannis Lockii, Buffierii, Honorati Fabri, Natalis Regnault, Fortunati a Brixia; Chriſtiani VVolfii; Georgii Darieſii, Antonii Genuenſis, aliorumque hac noſtra ætate eruditorum elucubrationibus evecta eſt.

Qui Inſtauratores logicæ?

PARS PRIMA LOGICÆ.

DE FACULTATE COGNOSCITIVA MENTIS HUMANÆ.

§. XLVIII.

Quæ operationes facultatis cognoſcitivæ? TRiplici modo mens noſtra facultatem cognoſcendi, quam habet, circa res cogitabiles exercet; vel enim 1.) rem quampiam ſibi duntaxat repræſentat, atque in rei ſic repræſentatæ contemplatione quodam modo conquieſcit, tumque ea *apprehendere*, vel *percipere*; actus vero ipſe *ſimplex rei apprehenſio*, *perceptio*; *idea*, vel *notio* dicitur: ut cum apertis oculis ſolem intueor: vel 2.) rei ita apprehenſæ aliquid per affirmationem addit, aut per negationem demit; tum ipſa *judicat*, actus autem *judicium* nuncupatur: ut cum de ſole prius ſimpliciter apprehenſo cogito: *eſt rotundus*; vel *non eſt quadratus*: vel 3.) ex facto jam tali judicio novum aliud deducit, & tum ipſa *ratiocinatur*, actus vero *ratiocinatio*, ſive *ratiocinium* compellatur: ut cum ex præcedenti judicio infero: *ergo ſol eſt corpus ſphæricum*, *ſive globus*.

Quę cogitationum ſigna? XLIX. Cogitata noſtra cum aliis quoque communicare oportet: iſtud abſque ſignis ſenſibilibus, quorum vices potiſſimum vocabula ſubeunt, fieri non poteſt. Idea exprimitur per

per *terminum*; judicium per *enunciationem*; ratiocinatio per *argumentationem*.

Schol. Cum hac in parte de facultate cognoſcitiva agendum ſit (§. 46.), res ipſa poſtulat, ut harum trium operationum ab ea facultate elicitarum natura, proprietates, legeſque, quibus eæ reguntur, dilucide exponantur, ac ſuis etiam in locis addantur ea, quæ ad rectum ſignorum ſenſibilium uſum pertinent. Id quod jam ordine exſequemur. Quod argumentum partis primæ?

CAPUT I.

DE

IDEIS, EARUMQUE OBJECTIS.

L. *Idea* eſt ſimplex rei cujuſdam repræſentatio in mente facta; ut cum mihi ſimpliciter ſolem repræſento, & quaſi mente intueor, habeo *ideam ſolis*. Quid idea?

Coroll. Idea exſiſtit in mente: eſt proinde quid ſpirituale, ſeu ſpiritualis quædam mentis affectio.

LI. *Objectum* ideæ eſt res quæcumque per ideam menti repræſentata. Sic ideæ, quæ mihi ſolem repræſentat, *objectum* eſt *ſol*. Quid ejus objectum,

Coroll. 1. Omnis res, de qua cogitari poteſt, poteſt nobis per aliquam ideam repræſentari, atque adeo objectum noſtrarum idearum eſt omnis res cogitabilis.

Coroll. 2. Res cogitabilis vel actu exſiſtit, ut *hic mundus*; vel non exiſtit quidem, attamen poteſt exſiſtere, ut *mundus alter*; hinc & quotuplex?

objectum noſtrarum idearum aliud eſt *poſſibile*; aliud *exſiſtens*.

COROLL. 3. Nihilum, ſeu impoſſibile non eſt res cogitabilis, igitur per ideam repræſentari non poteſt, hoc eſt: *Nihili* nulla datur idea.

SCHOL. Nimirum illud tantum percipio, quod mihi idea repræſentat, & toties aliquid percipio, quoties habeo aliquam ideam. Jam fingamus, ideam quampiam repræſentare nihil: igitur ope hujus ideæ percipio nihil; ſi vero hoc: tum nihil percipio, hoc eſt; nullam habeo ideam; nam *percipere nihil*, & *nihil percipere*, & *nullam habere ideam* prorſus idem ſonant.

Quomodo igitur, inquies, cogito de nihilo? Quatenus cogitas de privatione, aut ablatione cujuſpiam rei. Sic mons ſine valle eſt nihilum, neque illius potes habere ideam, & quando cogitas: mons ſine valle eſt impoſſibilis, idem eſt, ac ſi cogitares: mons neceſſario adjunctam habet vallem.

Quid objectorum notæ.

LII. *Nota* dicitur id, per quod res una differt ab alia, eſtque vel *conſtans*, quæ numquam a re abeſſe poteſt; vel *mutabilis*, quæ adeſſe, vel abeſſe poteſt. Conſtantes porro dividuntur in *eſſentiales*, & *attributa*; illæ primo concipiuntur: hæ ex illis profluunt. Similiter notæ mutabiles duplicis generis ſunt; aliæ in ipſa re inſunt, propterea que *interna*, ſive *modi* dicuntur: aliæ extrinſecus tantum rei cum alia comparatæ conveniunt, & *externa*, ſive *relationes* nuncupantur. Sic in homine nota eſſentialis eſt *vis ſentiendi*, item *vis ratiocinandi*; attributum *capacitas eruditionis*, modus *actualis eruditio*, relatio denique *magnitudo* ipſius, vel *nobilitas*.

COROLL. Quælibet res cogitabilis ab omni alia differt: igitur certæ quædam notæ ei conveniunt;

niunt; cumque omnis res cogitabilis objectum noſtrarum idearum eſſe poſſit (§. 51. cor. 1.), idem de quovis ideæ objecto ſentiendum.

LIII. Ideæ inter ſe comparatæ vel quoad modum repræſentationis, vel quoad objectum repræſentatum differunt. Illa differentia *formalis*; hæc *materialis* audit. Utraque attentionem meretur. Quæ & quotuplex idearum Differentia?

CAPUT II.

DE FORMALI IDEARUM DIFFERENTIA.

LIV. Idea *clara* eſt, quæ objectum ita dilucide repræſentat, ut illius ope id illico, & omni tempore ab omni alio diſcerni queat: quæ vero id non præſtat, *obſcura* dicitur. Sic de *ſole* omnes habemus ideam claram; at vero obſcuram *plantæ alicujus peregrinæ*, cum dubitamus, num eadem ſit & alias viſa. Quid idea clara & obſcura?

Coroll. Objecta idearum per certas notas diſcernuntur (§. 52. cor.): igitur neceſſe eſt, ut idea clara notas objecti aliquo modo repræſentet.

LV. Notæ objectorum repræſentari poſſunt vel ſimul omnes, & quaſi in confuſo; vel ſeorſum, & diſtincte: in caſu priori idea clara erit *confuſa*: in poſteriori vero *diſtincta*. Sic de *coloribus*, & *odoribus* habemus ideas tantum confuſas; ſed qui in *ſole magnitudinem*, *figuram*, *ſplendorem*, *diſtantiam*, *motum* diſcernit, habet ſolis ideam diſtinctam. Quid confuſa & diſtincta?

Coroll. Idea diſtincta objecti complectitur in ſe ideas claras notarum objecti, atque ex iiſdem quaſi conflatur: ſic idea ſolis diſtincta conſtat ex ideis claris magnitudinis, ſplendoris, figuræ, diſtantiæ, motus ſolis. Contra idea confuſa ex obſcuris notarum ideis coaleſcit.

Schol. Qui ideam diſtinctam alicujus objecti habet, ſcit per accuratam notarum enumerationem illud explicare; ſecus, qui ideam habet ſolum confuſam: ſic nemo verbis alteri exponere poteſt, quid ſit color albus, aut ſonus; neque ulla declaratione ingenerari poterit aut cæco coloris albi, aut ſurdo ſoni idea. Patet hinc, qua ſollicitudine philoſophus ad comparandas ſibi diſtinctas rerum ideas, ubi id fieri poteſt, eniti debeat, quodque ſignum ſit manifeſtum, eum id genus ideas conſecutum eſſe.

Quid completa, & incompleta?

LVI. Idea diſtincta dicitur *completa*, ſi tot duntaxat notas diſtincte repræſentet, quot ſufficiunt ad objectum ab omni alio diſcernendum: in caſu oppoſito eſt *incompleta*. Sic idea auri eſt *completa*, quæ diſtincte *colorem* ejus, & *gravitatem ſpecificam* repræſentat; his enim duabus ſolum notis jam aurum ab omni alio metallo diſcernitur.

Quid adæquata & inadæquata?

LVII. Cum notæ objecti ſeorſum, ac diſtincte repræſentantur, tum rurſus harum notarum notæ ab ſe invicem diſcernuntur, vel non: ſi in quopiam objecto notæ notarum ab ſe invicem diſcernantur, idea diſtincta, quæ ita objectum repræſentat, eſt *adæquata*; ſi non, *inadæquata*. Sic qui in *ſolis magnitudine*, *figura*, *ſplendore*, *diſtantia*, *motu* novas notas diſcernit, ideam ſolis habet adæquatam.

Coroll. Idea adæquata objecti complectitur in ſe ideas notarum objecti diſtinctas, ac ex iis quo-

quodam modo componitur. Sic idea adæquata ſolis conſtat ex ideis diſtinctis magnitudinis, ſplendoris, figuræ, diſtantiæ, motus ſolis. Contra idea inadæquata ex confuſis notarum ideis coaleſcit.

Schol. Facile patet, in ideis adæquatis diverſos perfectionis gradus dari; poſſumus enim ulterius progrediendo novas de notis notarum notas inveſtigare, & ſic porro: quæ idearum adæquatarum formatio a philoſophis *Idearum analyſis* nuncupatur. Nec minus perſpicuum eſt, ſcientiarum incrementa ab hac idearum analyſi pendere, ut adeo in id præcipue incumbendum videatur, ut ideæ noſtræ magis ſemper, atque magis adæquatæ evadant. At vero non tam pronum eſt illuc pervenire: quare neceſſe eſt, ut antea in claris diſtinctiſque ideis efformandis egregie exerceamur: eam in rem non inutiliter obſervabuntur ſequentes.

Leges de conformandis claris, & diſtinctis Ideis.

1.) Neque plura objecta, neque plures ejuſdem objecti notæ ſimul contemplandæ ſunt; eſt enim ſecundum vetus illud: pluribus intentus minor ad ſingula ſenſus.

2.) Objectum, quod contemplationi objicitur, illico in ſuas notas reſolvatur, atque in earum quavis novæ ulterius notæ inveſtigentur, quæ actio, quamdiu fieri poteſt, continuari debet.

3.) Attentioni, quæ requirit, ut mens longiore tempore in uno, eodemque objecto contemplando defigatur, quæque vividis juvenum animis adeo difficilis videtur, omnino aſſueſcendum ſcavendaque oppoſita eidem præcipitantia, quæ vel ex naturali quadam levitate, vel nimia ingenii fiducia potiſſimum oritur.

4.) Adjuvetur, ſi neceſſe ſit, attentio ſymbolis algebraicis, aut geometricis, brevi in charta adnotatione, aut etiam imaginibus corporeis per phantaſiam effictis, quæ tamen in rebus inſenſibilibus & rariſſime, & cautiſſime adhibendæ ſunt.

5.) Objectum expendendum in omnes partes verſetur, compareturque cum aliis aliunde notis, ut quid iis commune, quid diverſum, quid cuivis proprium ſit, acutiſſime pervideatur.

CAPUT III.

DE

MATERIALI IDEARUM DIFFERENTIA.

Quid determinatum? LVIII. *Determinatum* hoc loco dicitur illud, quod, cum pluribus, iiſque diverſis modis eſſe poſſit, nunc hoc potius, quam alio modo eſt: ſic marmor quoddam poteſt eſſe vel exſiſtens, vel tantum poſſibile: quadratum, vel rotundum: album, vel rubrum: in hoc, vel illo ædificio: in hoc vel illo ædificii latere; ſit ergo exſiſtens, quadratum, album, in fronte palatii locatum: en marmor quoad exſiſtentiam, figuram, colorem, & locum determinatum.

Quid objectum, & idea ſingularis? LIX. Objectum quoad omnem ſui partem determinatum *ſingulare*, vel *individuum*, uti & idea illud repræſentans *ſingularis* audit. Sic idea *amici* mecum colloquentis ſingularis eſt.

Schol. Cogitanti perſpicuum eſt, omnimodam alicujus rei determinationem aliud non eſſe, quam

quam collectionem certarum notarum, quæ ita eidem conveniunt, ut ſimul ſumtæ nulli prorſus alteri convenire queant. Notæ hæ pervulgato illo verſiculo continentur: *forma, figura, locus, tempus, ſtirps, patria, nomen*. Si jam porro attentionem noſtram per res omnes exſiſtentes ducamus, nullo negotio deprehendemus, ſimilem notarum collectionem cuilibet, quæ demum cumque ea ſit, convenire: omnis proinde res exſiſtens ſingularis eſt, ſive aliquod individuum: ut *Cicero*, *Cæſar*, *hoc palatium*, *hæc menſa*, *hic liber*, *hic equus*, *hic canis*. Atque inde patet, qua via perveniatur ad ideas ſingulares: ſenſibus nimirum percipimus ea, quæ exſiſtunt, igitur uſu ſenſuum comparantur ideæ ſingulares.

LX. Objectum non undequaque determinatum, ſive *indeterminatum* eſt illud, in quo omnes determinationes, quæ ſunt, aut eſſe poſſunt, non percipiuntur; cumque illud ſemper pluribus conveniat, *univerſale*, ſive *commune*: ac idea id repræſentans *univerſalis* audit. v. g. objectum *homo* eſt quidem determinatum quoad notas (*vita, ſenſus, ratio*), quæ in eodem percipiuntur, non tamen quoad reliquas, ut *forma*, *ætas*, *doctrina*, *dignitas*, quæ per ideam *homo* non exprimuntur; eſt igitur *homo* objectum indeterminatum, & quia pluribus, nimirum Cæſari, Ciceroni, Cajo, & ceteris hominibus, convenit, univerſale, ac proinde etiam idea *hominis* eſt idea univerſalis. Quid objectum, & idea univerſalis?

LXI. *Abſtrahere* dicimur, cum mentem noſtram a conſideratione aliorum objectorum, vel a contemplatione aliarum partium, ſive notarum in eodem objecto avocamus, ut eam in unum aliquod objectum, vel in unam ejuſdem partem, ſive notam attentius defigamus. Eſt proinde *abſtractio* quaſi quædam Quid abſtractio?

mentis ab aliis avocatio, ut alia attentius meditemur. Sic dum in ſerie librorum *unum* præ reliquis conſidero, abſtraho a *ceteris*, quos non conſidero: hominis mecum loquentis ſolam *eruditionem* admirans, abſtraho ab illius *dignitate*, *pietate*, *forma*, *patria*.

Coroll. 1. Per abſtractionem ex objecto ſingulari, ſive undequaque determinato efficitur objectum indeterminatum, ac univerſale. Abſtraho v. g. in objecto ſingulari *Cicero principatum eloquentiæ*, *conſulatum Romanum*, *civem Romanum*, *ætatem*, qua vixit, ipſam denique *exſiſtentiam*, & acquiro objectum indeterminatum, ac univerſale *homo*.

Coroll. 2. Igitur etiam per abſtractionem ab ideis ſingularibus aſcendimus ad univerſales; eſt proinde hoc medium, & quidem unicum comparandi nobis ideas univerſales.

Schol. Univerſalia non exſiſtunt extra mentis noſtræ conceptum; quidquid enim exſiſtit, ſingulare eſt; & undequaque determinatum (§. 59. Schol.), eſtque hoc ita evidens, ut omnis in contrarium diſputatio inanis ſit, ac futilis: ubi enim quæſo, deprehendes talem aliquem, in quo id ſolum, quod per vocem *homo* exprimimus (*vita* nimirum, *ſenſus*, *ratio*,) inſit, prætereaque nihil? Profecto hæ notæ, etſi inſint in unoquoque homine, ita tamen cum aliis quemlibet determinantibus conjunguntur, ut ab iis realiter ſeparari nequeant: patet inde, quid de ſecta Realium (§. 34.) ſentiendum ſit. Neque tamen propterea univerſalia in intellectus noſtri figmentis cenſenda ſunt, etſi enim ut ita abſtracta non exſiſtant, exſiſtunt tamen reipſa in individuis ut conjuncta cum aliis notis determinantibus: uſus præterea eorum eſt ingens, utilitas maxima in comparandis quibuſvis ſcientiis, quæ omnes in veritatibus quibuſdam univer-

verſalibus conſiſtunt. Denique & illud hic monuiſſe juverit: quæ extra mentis conceptum, ſive nemine cogitante exſiſtunt, dicuntur a philoſophis *actu*, *actualiter*, *phyſice*, *realiter*, vel etiam *a parte rei* exſiſtere; quæ vero ſoli mentis noſtræ conceptui exſiſtentiam debent, *logice*, *mentaliter*, aut *ratione noſtra*, ſive *noſtro cogitandi modo* ſecundum eoſdem exſiſtunt.

LXII. *Compoſitio* mentis eſt ea actio, qua per omnes objecti notas cogitando progredimur, dum tandem per continuam novarum notarum adjectionem ex objecto indeterminato efficiamus objectum undequaque determinatum, ſive individuum. Sic ex objecto indeterminato *homo*, quod menti obverſatur, per continuam notarum determinantium additionem mente factam, (v. g. *exſiſtentiam*, *ætatem*, qua vixit, *locum*, *jus civitatis Romanæ*, *conſulatum Romanum*, *principatum eloquentiæ*.) efficio objectum ſingulare *Cicero*. Quid compoſitio?

Coroll. 1. Compoſitio, cum via contraria incedat, directe opponitur abſtractioni (§.61.): ſicut igitur per abſtractionem ab ideis ſingularibus aſcendimus ad univerſales (§. cit. cor. 2.), ita viciſſim per compoſitionem ab ideis univerſalibus deſcendimus, ac veluti regredimur ad ideas ſingulares. Hinc compoſitio eſt via altera obtinendi ideas ſingulares (conf. §. 59. ſchol. fin.)

Coroll. 2. Si per compoſitionem objectum ideæ univerſalis variis modis determinetur, pervenitur ſucceſſive ad ſingula individua, quibus illud objectum commune eſt, quæ propterea *ſubjecta* vel *inferiora* ideæ univerſalis, atque in ea *includi* dicuntur. Sic ideæ univerſalis *homo* ſubjecta ſunt *Cæſar*, *Cajus*, *Cicero*, & quævis individua humana; ſi enim objectum indeterminatum *homo* variis modis,

v. g. per certum *ſtatum*, *tempus*, *patriam*, *nobilitatem*, *eruditionem* &c. &c. determinem, veniam ſucceſſive ad *Caſarem*, *Cajum*, *Ciceronem*, & reliqua individua humana, quæ in hac idea univerſali includuntur.

Quid idearum comprehenſio & extenſio? LXIII. In qualibet idea univerſali duo ſunt, quæ attentionem merentur. *Comprehenſio*, quam conſtituunt notæ omnes collectim ſumtæ, quæ per ideam repræſentantur: ſic ideæ univerſalis *homo* comprehenſionem abſolvunt hæ notæ: *vita*, *ſenſus*, *ratio*, in ea repræſentatæ. *Extenſio*, quam efficiunt ſubjecta ipſius ideæ ſimul ſumta, id eſt, omnia illa individua, quibus notæ illæ repræſentatæ conveniunt: ſic ad extenſionem ideæ *homo* pertinent omnia *individua humana*, quibus ſupradictæ notæ conveniunt.

Coroll. Idea igitur univerſalis ad ea omnia ſe extendit, quæ in ſe includit (§. 62. cor. 2.)

Schol. Id nimirum obtinet, ſi idea univerſalis ſecundum ſe accipiatur, ſive ut ajunt, ſecundum totam ſuam extenſionem; contingit autem frequenter, ut eam ſolum ſecundum partem aliquam extenſionis uſurpemus, ad quod indicandum utimur illis particulis *aliquis*, *quidam*, *nonnullus*. Atque idea hoc modo accepta *particularis* audit; particulæ vero illæ dicuntur *ſigna*, ſive *nota particularitatis*: ut eum cogito: *aliquis homo*, ideam habeo particularem.

Quid idea particularis?

Quæ comprehenſionem inter, ac extenſionem proportio? LXIV. Comprehenſio & Extenſio inter ſe comparatæ ejus ſunt naturæ, ut una aucta minuatur altera, & viciſſim imminuta una augeatur altera: ſic ſi in idea *animal*, quæ *vitam* & *ſenſum* repræſentat, augeatur comprehenſio, adjiciendo nimirum notam *ratio*; minuitur extenſio; nam hæ notæ *vita*, *ſenſus*, *ratio*, ſolis *hominibus*; & non etiam

bel-

belluis, quæ ad extenſionem ideæ *animal* ſpe-
ctabant, conveniunt; item ſi in idea *homo* minuatur comprehenſio, rejiciendo notam *ratio*, augetur extenſio; nam *vita*, & *ſenſus* non ſolis *hominibus*, ſed *belluis* etiam conveniunt: & ab oppoſito, ſi in priori reſtringi debeat extenſio ad ſolos *homines*, augenda erit ejus comprehenſio addendo notam *ratio*, & ſi in poſteriori augeatur extenſio, ut nempe ad eam non ſoli *homines*, ſed *bruta* quoque pertineant, minuenda erit comprehenſio reſecando nimirum notam *ratio*.

Coroll. 1. Si igitur comprehenſio augeatur, quantum eſt poſſibile, minuitur contra extenſio, quantum fieri poteſt: id fit, cum ex idea univerſali per compoſitionem ad ſingularem deſcendimus (§. 62. cor. 1.). Quare idea ſingularis habet comprehenſionem maximam, omnes nimirum notas objectum undequaque determinantes; extenſionem vero minimam, aut quaſi nullam, ad unicum nimirum objectum, quod eſt ipſum illud individuum.

Coroll. 2. Quo magis minuitur comprehenſio, eo idea, creſcente extenſione, fit magis univerſalis, atque adeo idea, quo magis univerſalis eſt, eo pauciores in ſe notas complectitur: jam vero quo pauciores uno, eodemque tempore notas contemplor, eo accuratius eas intueri, ac pervidere poſſum (§. 57. ſchol. l. 1.). Patet igitur hinc iterum egregius uſus, ac utilitas Idearum univerſalium in procuranda ſibi quacumque eruditione (conf. §. 61. ſchol.).

LXV. Objectum univerſale in tres præcipue claſſes diſtribui poteſt; eſt enim vel *ſpecies*, vel *genus*, vel *differentia*. Atque hinc etiam idea univerſalis triplex eſt: *ſpecifica*, *generica*, & *differentialis*. Objectum univerſale quotuplex? Quid ſpecies, ejuſque idea?

LXVI. *Species* eſt illa nota eſſentialis, (ſeu plu-

plures per modum unius conſideratæ,) in qua plura individua inter ſe comparata perpetuo conveniunt, & idea eamdem notam repræſentans dicitur *ſpecifica*: Sic *Cajus*, *Cicero*, *Cæſar*, & *reliqua individua humana*, ſi inter ſe conferantur, perpetuo in eo conveniunt, quod habeant *vitam*, *ſenſum*, & *rationem*; quæ vocabulo *homo* exprimuntur: igitur *homo* eſt ſpecies. Item *individua brutorum* perpetuo in eo conveniunt, quod habeant *vitam*, & *ſenſum* abſque *ratione*, quod per vocem *brutum* indicamus: igitur *brutum* eſt ſpecies.

Quid genus ejuſque idea? LXVII. *Genus* eſt illa nota eſſentialis, (ſeu plures per modum unius acceptæ,) in qua duæ vel plures ſpecies inter ſe collatæ perpetuo conveniunt, & idea eamdem notam repræſentans eſt *generica*. Sic *homo* comparatus cum *bruto* in eo perpetuo convenit, quod habeat *vitam* & *ſenſum*, quæ per vocem animal denotantur: igitur *animal* eſt genus.

Quotuplex genus? LXVIII. Genera ipſa inter ſe collata rurſus in nota quadam eſſentiali perpetuo convenire poſſunt, ea nota conſtituit *genus* quoddam *altius*, ſeu *ſuperius*; eſt igitur *genus altius*, ſeu *ſuperius* ea nota, (vel plures in unam collectæ,) in qua duo genera inter ſe comparata perpetuo conveniunt: idem de idea eamdem repræſentante ſentiendum. Sic inventum genus *animal*, ſeu *vivens ſenſitivum* collatum cum alio genere *vivente non ſenſitivo* convenit in eo, quod *vivat*, igitur *vivens* eſt genus altius, quam *animal*.

Schol. 1. Cum eodem modo ex genere jam ſuperiore ad aliud rurſus, per collationem nempe generum ſuperiorum inter ſe, deveniri queat, diverſæ dantur generum claſſes, quas ita diſtribuimus, ut id, quo altius nullum eſt

ſu-

ſupremum : id , quod nullum genus infra ſe habet , *infimum* , vel *proximum:* reliqua , quæ his intercipiuntur , quorumque ſemper unum altero eſt ſuperius , generatim *ſubalterna* , ſive *intermedia* compellemus . Sic genus hominis ſupremum eſt *ens* , infimum ſeu proximum *animal* : ſubalterna directe aſcendendo *: vivens* , *ſubſtantia* , *exſiſtens* .

Schol. 2. Genera inferiora reſpectu ſuperiorum , ſub quibus continentur , nonnumquam ſpecies: reſpectu vero inferiorum , quæ ſub ſe continent , genera dicuntur ; tum vero ad confuſionem evitandam ea ſpecies , quæ individua ſolum ſub ſe complectitur , ſpecies *infima* audit . Sic *vivens* reſpectu *ſubſtantiæ* eſt ſpecies , & genus reſpectu *animalis* : *animal* eſt ſpecies reſpectu *viventis* , & genus reſpectu *hominis: homo* vero eſt ſpecies infima.

Schol. 3. Prout diverſorum adjunctorum , ac proprietatum ratio habetur , ita quoque diverſa rerum genera , ac ſpecies ſtatui poſſunt . Sic attendentes ad brutorum diverſitatem deprehendimus claſſem unam aliquam , quam nomine equi ; aliam quam nomine canis ; aliam , quam leonis , cervi &c. deſignamus: erunt igitur ſpecies , *equus* , *canis* , *cervus* , *leo* &c. , quæ inter ſe collatæ ſub genere *bruti* continentur , ac proinde *brutum* erit genus , quod (§. 66.) pro ſpecie aſſumſimus . Item ſi in ipſis canibus , equis , &c. diverſitates varias examinemus , novas *canum* , *equorum* &c. ſpecies inveniemus , quarum reſpectu *canis* , *equus* &c. erit genus . Similiter bruta poſſunt dividi in *terreſtria* , *aerea* , *aquatica* , quæ ſingula ſunt genera ſub genere ſuperiore *bruti* contenta , & alia adhuc genera infra ſe habentia , ut eorum , quæ quatuor pedibus inſtructa ſunt , quæ repunt &c. Patet igitur in ſtatuendis ſpeciebus , ac generibus plurimum ab arbitrio noſtro pendere . Id unum tamen hic mo-

nitum

nitum velim, ut in ſubordinandis generibus accurata comprehenſionis ideæ ratio ſemper habeatur, atque ſecundum eam ita diſponantur genera, ut quo ſunt altiora, eo minorem habeant comprehenſionem, & majorem extenſionem.

Quid, & quotuplex differentia, ejuſque idea? LXIX. *Differentia* eſt illa nota eſſentialis, per quam individuum ab individuo: ſpecies a ſpecie: genus a genere differt. Prima vocatur *individualis*, ſeu *numerica*; altera *ſpecifica*; ultima *generica*. Idea eam notam repræſentans pariter *differentialis* audit. Sic differentiam individualem inter *homines* conſtituunt notæ illo verſiculo contentæ (§. 59. ſchol.); differentia ſpecifica inter *hominem* & *brutum* eſt *ratio*, & differentia generica inter *animal*, & *plantam* eſt *ſenſus*.

Schol. Res dicuntur *toto genere* differre, cum ſub eodem genere proximo non continentur: ſic *homo* toto genere differt a *planta*, quia ille pro genere proximo habet *animal*, hæc vero *vivens*.

Quid concretum & abſtractum? LXX. Quatenus nota cum objecto, quocum conjuncta eſt, ut conjuncta accipitur, eatenus objectum dicitur *concretum*: ut *marmor rotundum*, *homo doctus*: *abſtractum* vero, dum nota abſque objecto, vel objectum abſque nota, quocum realiter conjuncta eſt, conſideratur: ut *rotunditas*, *doctrina*.

Quotuplex concretum? LXXI. In concreto quolibet duo attendenda ſunt: *ſubjectum*, & *nota*, ſeu ut ajunt, *forma*, quæ cum illo conjungitur. Et quia tribus diverſis modis forma cum ſubjecto conjungi poteſt, triplex inde oritur concretum. *Metaphyſicum*, quando forma a ſubjecto non reapſe, ſed noſtro ſolum cogitandi modo diſtinguitur, & ſic per cogitationem ſeparata eidem quaſi inhærere a nobis concipitur: e-

juſ-

juſmodi ſunt omnia genera, & ſpecies, ut *animal*, *homo*; nam notæ in iis repræſentatæ reipſa inter ſe non differunt. *Phyſicum*, cum forma a ſubjecto, cui inhæret, poteſt ſeparari: ut *homo doctus*, *corpus rotundum*. *Logicum*, ſi forma ſubjecto non inhæreat, ſed mente duntaxat noſtra ad illud referatur: ut *cognitum*, *volitum*, *deſideratum*, *viſum*, *auditum*; cognitio enim, & volitio menti inhærent quidem, referuntur tamen a nobis ad rem, quæ cognitione, aut volitione attingitur.

LXXII. Idea, quæ objectum concretum repræſentat, pariter *concreta*; quæ abſtractum, *abſtracta* dicitur: ſic idea *hominis docti* concreta; *doctrina* vero abſtracta eſt. Quid idea concreta & abſtracta?

Coroll. 1. Univerſim illa idea eſt concreta, quæ conjunctim exhibet ea, quæ reipſa conjuncta ſunt; & abſtracta, quæ conjuncta ſeparatim repræſentat.

Coroll. 2. Eadem idea poteſt ſub diverſo reſpectu ſimul concreta, & ſimul abſtracta eſſe: ſic idea referens *marmor rotundum* concreta eſt, quatenus *rotunditatem* conjunctim cum *marmore* repræſentat; & abſtracta, quatenus *marmor rotundum* ab aliis notis reipſa conjunctis v. g. *magnitudine*, *colore* &c. ſeparat.

Coroll. 3. Omnes ideæ univerſales (§. 60.) abſtractæ ſunt; in iis enim nota pluribus communis, ut ſeparata ab aliis, quibuſcum reapſe conjuncta eſt, repræſentatur.

LXXIII. Sicut res extra nos exſiſtentes percipimus, ita pariter ea, quæ intra nos, ſeu in anima noſtra inſunt, aut fiunt, idearum noſtrarum objecta eſſe poſſunt: horum objectorum ideæ, cum reflexione ſupra noſmetipſos facta obtineantur, *reflexæ* dicuntur. Idea proinde *reflexa*, quæ & *ſenſus intimus*, & *conſcientia* frequentius compellatur, ea Quid idea reflexa?

eſt,

eſt, cujus ope exſiſtentiam, ideas, ceteraſque mentis noſtræ mutationes, ſeu affectiones percipimus.

Schol. In uſu idearum, de quibus hoc in capite tractatum eſt, graviores nonnumquam errores ſubrepunt; quos ut facilius evites, ſequentes te docebunt.

Leges de uſu idearum ſingularium, abſtractarum, & univerſalium.

1.) Ideis ſingularibus, quas per compoſitionem mentis efformamus (§. 62. cor. 1.), non ſemper reſpondet objectum reipſa exſiſtens; unde ex eo ſolum, quod rei alicujus ideam claram, ac diſtinctam concipiam, inferre nequeo, realiter exſiſtere; ſic concipio *montem aureum*, quin is propterea uſpiam exſiſtat.

2.) Idea abſtracta ea ſeparat, quæ reapſe conjuncta ſunt (§. 72. cor. 1.): igitur ejus quoque objectum ita in ſe conſtitutum non eſt, prout repræſentatur: ſic non exſiſtit *rotunditas* ſine *corpore rotundo*, *numerus* ſine *rebus numeratis*, aut *motus* ſine *re mota*, ac univerſe nulla forma ſine ſuo ſubjecto, qua in re veteres philoſophi admodum hallucinati ſunt.

3.) Ideæ abſtractæ de ſe mutuo affirmari nequaquam poſſunt, cum quælibet idea abſtracta neceſſario ſit hæc, & non alia idea: ſic, licet cum veritate cogitare queam: *hic doctus eſt pius*, aut *hic homo eſt doctus*: nequeo tamen affirmare: *hæc doctrina eſt pietas*, aut *hæc humanitas eſt doctrina*. Quod ſi quandoque contrarium videatur contingere, id inde eſt, quod idea aliqua abſtracta pro metaphyſice concreta uſurpetur; ut cum genus de ſpecie, vel alio genere affirmatur:

verb.

verb. grat. *homo eſt animal*, vel *temperantia eſt virtus*.

4.) Ut rectus noſtrarum cogitationum ordo habeatur, a quo omnis in litterarum ſtudio progreſſus, & doctrinæ ſoliditas pendet, ordinentur ideæ univerſales in mente ſecundum majorem earum univerſalitatem, hoc eſt, prior ſemper locus ei tribuatur, quæ majorem habet extenſionem; tum ſuccedat idea minoris extenſionis; ſic *vivens* ante *animal*, & *hoc* ante *hominem* concipiatur (conf. §. 68. ſchol. 3. fin.).

CAPUT IV.

DE IDEARUM SIGNIS.

LXXIV. *Vocabula* ſunt ſoni articulata voce prolati, quibus ideas mente conceptas ſignificamus. Quid vocabulum?

Coroll. 1. Unaquæque idea, dum in mente exſiſtit, individua, ſeu undequaque determinata eſt (§. 59. ſchol.): igitur quodlibet vocabulum ideam quamdam determinatam, ſeu, ut loquimur, in individuo denotat, ac veluti determinat. Atque inde eſt, quod vocabula apud philoſophos more recepto *termini* audiant. Quid terminus?

Coroll. 2. Ideæ res ipſas repræſentant: igitur termini mediantibus ideis res quoque ipſas ſecundario denotant.

Schol. Patet id ex quotidiana ſermonis conſuetudine; etenim dum ſermocinantem audimus, jure quodam exigimus, ut is & rebus ipſis, & ſuæ menti congruenter loquatur, eumque, qui in

in priore deficit, ignorantiæ: qui in poſteriore, mendacii reum agimus. Quod vero ad primam vocabulorum originem attinet; uti dubio caret, primos homines ab ipſo auctore Deo ea fuiſſe edoctos, ita pariter perſpicuum eſt, eorum vocabulorum, quæ progreſſu temporis obtinuerunt, ſignificationem ab arbitraria, ac libera prorſus populorum inſtitutione, & retentione provenire. *Lucret. de nat. rer. l. 5.* Non moror hic inſulſam Epicureorum opinionem, qui homines ex tellure progenitos, prorſuſque elingues primum ſtatuerunt; tum vero ſonos, quos aliunde perceperint, fuiſſe imitatos, tandem in ordinatos prorupiſſe, eoſque commo i, delectationiſque cauſa perpoliviſſe ſubinde, ac multiplicaſſe. *Herodot. l. 2.* Nec minus a vero aberrant ii, qui cum Pſammetico Ægypti Rege primos homines lingua quadam naturali, ac vocabulis ipſam rerum naturam exprimentibus uſos fuiſſe autumant, quam linguam etiamnum infantes locuturos contendunt, ſi ab omni ceterorum hominum commercio remoti educarentur. Nam ſi id ita habeat, cur non una adhuc etiam inter homines lingua toto in orbe obtinet? cur ſurdi, quorum ceteroquin lingua præpedita non eſt, loquela deſtituuntur? quod demum etiam neceſſariæ vocabula inter, ac rerum naturas connexionis veſtigium deprehendere licet? & nonne naturalem plurimarum rerum conſtitutionem ignoramus, quas tamen certis vocabulis perpetuo deſignamus?

Quotuplex terminus? LXXV. Termini pro diverſitate idearum, quas denotant, in diverſa genera tribuuntur: eſt nimirum *ſingularis*: ut *Cicero*, *hic homo*: *univerſalis*, iſque vel *genericus*, ut *animal*: vel *ſpecificus*, ut *homo*: vel *particularis*, ut *aliquis homo*: *concretus*, ut *doctus*: *abſtractus*, ut *doctrina*. Addi etiam poteſt *ſimplex*, & *complexus*: ille uno vocabulo, ut *homo*: hic plu-

pluribus ſimul ſumtis conſtat: ut *homo doctus*, *marmor rotundum*.

Schol. Contingit videlicet frequentius, ut nos deficiat vocabulum ad ideam mente efformatam accurate exprimendam aptum; quo in caſu aliud inſuper, vel etiam plura in conſortionem aſſumere cogimur, ut ea tandem duorum vel plurium vocabulorum conjunctio exſurgat, qua cogitationem noſtram ad amuſſim cum aliis communicemus. Ea res videtur occaſionem dediſſe Lockio, aliiſque, ipſas quoque ideas in *ſimplices*, & *complexas* diſtribuendi, quarum illa termino ſimplici, altera termino complexo exprimeretur, tametſi id pro omni abſolute caſu neceſſe non ſit; nam cum ex mente Lockii illa idea dicatur *ſimplex*, in qua ne mente quidem plura diſcernere licet, uo ſunt ideæ, *colorum*, *odorum*, *ſonorum*, *gaudii*, *triſtitiæ*, verbo omnium *ſenſationum* noſtrarum; *complexa* vero, in qua contrarium obtinet, ut idea *ſolis*, *ædificii*, *hominis*, fieri utique, & quidem frequentius poteſt; ut etiam idea complexa unico ſolum vocabulo accurate deſignetur. Hanc porro idearum diviſionem adeo non improbo, ut eam potius retinendam eſſe cenſeam; neque enim in re quidpiam novi continet; ſi quidem idea ſimplex cum confuſa; complexa vero cum diſtincta, vel adæquata eadem eſt, ut expendenti (§§. 55. & 57. cum coroll.) patebit: quare ipſis hiſce vocabulis quandoque in ſequentibus utar, ut eo facilius aliorum quoque auctorum, ac præcipue Lockii mentem in opere *de intellectu humano* expreſſam tiro aſſequatur. Vide Leibnitium. *Nouveaux Eſſais ſur l'entend. hum. liv. 2. ch. 2.*

LXXVI. Terminus quilibet duas in mente ideas excitat; alteram ſui ipſius, quatenus eſt ſonus articulatus: alteram rei, quam ſignificat. Si primo modo ſpectetur, ſumitur *ma-* Quid terminus materialis, & formalis?

materialiter, ut cum dico: *Cicero eſt vox trium ſyllabarum*; ſi altero: *formaliter*, ut cum dico: *Cicero eſt princeps eloquentiæ*.

Quotuplex terminus formalis? LXXVII. Terminus formaliter acceptus vel denotat aliquam reipſa ideam, & *poſitivus*, ut *res*, *homo*, *Cicero*: vel abſentiam alicujus ideæ, & *negativus*, ut *nihil*, *ignorantia*, *ſterilitas*, *tenebræ*: vel nullam ullo modo ideam, & *inanis* dicitur, ut *circulus quadratus*, *mons ſine valle*, *atramentum album*, *ferrum ligneum*, & quæcumque ſunt impoſſibilia, cum impoſſibilis, ſive nihili nulla ſit idea (§. 51. cor. 3. & ſchol.).

Schol. Dici nequit, terminos negativos ad nullam ideam proprie pertinere, aut nullam prorſus ſignificare, nam ſi hoc verum foret, nihil abſolute ſignificarent; licet igitur poſitivam ideam non exprimant, referuntur tamen ad ideas poſitivas, earumque abſentiam deſignant. Contra terminus, quem *inanem* dicimus, eſt revera inanis ſine mente ſonus; illo enim ii tantum utuntur, qui, dum ideam quampiam ſibi habere videntur, reapſe nullam habent, apparentem tamen eam ideam, quam VVolfius propterea *fallacem*, ſive *deceptricem* appellat, aliquo vocabulo exprimere nituntur.

Quotuplex terminus poſitivus? LXXVIII. Terminus poſitivus, qui conſtanter eamdem ideam invariatam denotat, *fixus* compellatur, eſtque vel *proprius*, ſi uni, eidemque rei ſignificandæ ſemper inſerviat, ut *Cicero*, *Plato*: vel *univocus*, ſi pluribus rebus ſub eadem ſignificatione tribuatur, ut *homo*, *animal*, & omnia vocabula generum, & ſpecierum. Qui vero non conſtanter eamdem ideam, ſed modo hanc, modo illam ſignificat: *vagus*, vel *æquivocus* dicitur: ut *mundus*, quæ vox jam ſolum globum terraqueum, jam collectionem omnium corporum mun-

mundanorum, jam totam rerum creatarum univerſitatem notat.

LXXIX. Terminus æquivocus vel caſui; vel conſilio originem ſuam debet. *Caſu* æquivocus eſt; cum multiplicis ſignificationis ratio præter arbitrium primorum linguæ inſtitutorum dari nulla poteſt, ut *calx*, *liber*. *Conſilio* æquivocus eſt, cum res diverſæ, quibus idem terminus tribuitur, aliquam inter ſe convenientiam, ſimilitudinem, ſive, ut ajunt, analogiam habent; unde nominatim hic terminus etiam vocatur *analogus*, ut *ardens*, qui de corpore ignito, & homine irato propter ſimilitudinem agitationis dicitur; *ſanus*, qui homini, colori vultus, medicinæ, & pulſui arteriæ tribuitur propter aliquam licet diverſam ad ſanitatem relationem, item *caput*, *pes*. Quotuplex æquivocus?

LXXX. Dici quoque non abſque ratione poteſt, terminum nonnumquam *errore* fieri æquivocum; cum nempe ad unam quidem rem ſignificandam a pluribus aſſumitur, reapſe tamen diverſas in ſe res denotat, idque ob erroneam de natura rei ſignificandæ opinionem, qua eo vocabulo utentes imbuti ſunt; id genus eſt vox *Deus*, quam idololatræ ex erroneo circa naturam divinam judicio etiam ſtatuis manufactis; impius vero Spinoza toti mundo aſpectabili attribuit; item terminus *vera religio*, cum cujuslibet ſectæ homines ſuam religionem veram prædicent, quod tamen de ſola Romano-Catholica ex vero dici poteſt.

LXXXI. Vocabulis ideas mente conceptas ſignificamus (§. 74.): igitur non ſunt ſigna idearum, quæ in audientium animis exſiſtunt; ſed earum duntaxat, quas loquens in mente habet, quaſque per eadem exprimere cupit. Quas ideas vocabula ſignificant?

COROLL. 1. Cum pro diverſa cognitione diverſæ in diverſis hominibus de eadem re ideæ ſint, neceſſe eſt, ut idem vocabulum a diverſis pronunciatum diverſum etiam ſenſum contineat: ſic infans in metallo, quod audit *aurum* compellari, nihil obſervat præter *fulgentem quemdam colorem flavum*; alius præterea *gravitatem ſpecificam majorem*, tertius *malleabilitatem*, quartus *ductilitatem*, quintus *ſolubilitatem in aqua regis*, & forte plura ejuſmodi cognoſcit: omnes hi data occaſione pronunciant hanc vocem *aurum*; quare evidens eſt in cujuslibet ore per idem vocabulum aliam ideam multum diſcrepantem exprimi; hinc videmus ab infantibus quamlibet rem, quæ ſimili colore imbuta ipſis occurrit, aurum vocitari.

COROLL. 2. Si igitur verum vocabuli ſignificatum determinare velis; ut aliorum ſenſa aſſequaris, noli ea interpretari ex propriis ideis; ſed ex ſcribentis, aut loquentis mente; ſic ſi audis enunciari vocabulum *Deus*, vide, num is, qui eo utitur, Idololatra? an Spinoziſta? an Chriſtianus ſit?

SCHOL. Verum res hæc multis nonnumquam difficultatibus obſepta eſt, propterea præcipue, quod ideæ noſtræ, dum aliorum vel ſcripta legimus, vel ſermones audimus, latenter ſubrepunt, efficiuntque, ut aliorum ſenſa in noſtram ſententiam iniquiſſime detorqueamus. Inde certo evenit, ut paſſim experiamur, multos etiam ex doctioribus in antiquis philoſophorum ſcriptis ea ad præconceptam ſuam opinionem ſtabiliendam invenire, de quibus ii ne ſomniarunt quidem. Exemplo ſit Cudvvorthus, qui, dum ſeu pro philoſophia, ut ait, corpuſculari, ſeu pro natura genitrice acerrime depugnat, eas opiniones apud omnes Græcorum philoſophos ſe deprehendiſſe ſibi videtur, quod tamen quam falſum ſit, Cl. Moshemius

mius in eruditiſſimis ſuis adnotationibus commonſtravit. Curandum itaque, ut animo ab omnibus ideis vacuo ad ſermones audiendos, aut legendos libros accedamus, neque alias vocabulis ideas ſubſtituamus, atque eas, quas auctorem ipſum in mente habuiſſe expenſis omnibus ſimillimum vero eſt. Sed hac de re in ultima parte plura dicemus.

CAPUT V.

DE

VOCABULORUM USU, ABUSU, EJUSQUE REMEDIIS.

LXXXII. Vocabula ſunt ſigna idearum, quas mente concipimus (§. 74.): hæc porro ſigna vel ad nos tantum, vel ad alios referuntur. Quatenus ad nos: memoriæ inſerviunt; cum enim a pueritia aſſueverimus ſuam cuilibet vocabulo ideam affigere, nexus hic ideam inter, ac vocabulum, licet arbitrarius ſit, labente tamen tempore ita invaleſcit, ut in naturalem prope abeat. Hinc fit, ut numquam fere ſine vocabulorum uſu etiam taciti cogitemus, & frequenter vocabula prius animo occurrant, quam ideæ ipſæ.

Quis vocabulorum uſus comparate ad nos?

Schol. In hoc vocabulorum uſu non eſt magnopere laborandum circa eorum delectum; neque metuendum, ne iis male utendo in errorem prolabamur; cum enim nobis, non aliis loquamur, omneſque ſoni æque indifferentes ſint, quodlibet vocabulum aptum erit ad ideam, quam cupimus, in memoriam revocandam, ſi modo id obſervemus, ut conſtanter eamdem eidem vocabulo ſubjiciamus.

Comparate ad alios? LXXXIII. Quatenus hæc ſigna ad alios referuntur, communicationi inſerviunt: ſermones enim inſtituendo per vocabula aliis cogitationes noſtras manifeſtamus. Eſt porro ſermo noſter vel *civilis*, quem in uſu quotidiano, & ordinario cum hominibus commercio adhibemus, ut negotia noſtra pertractemus, & reliqua vitæ civilis commoda procuremus: vel *philoſophicus*, quo in ſcientiis utimur, dum vel veritatem ipſi quærimus, vel inventæ jam alios quoque participes efficere ſtudemus, vel *æſtheticus*, quem amœniores litteræ depoſcunt.

Quotuplex ſermo?

SCHOL. Civilis ſermo magnam accurationem haud poſtulat; facile enim intelligimus alios, & intelligimur, cum de rebus ad communes vitæ uſus neceſſariis agitur. Leges, quibus æſtheticus adſtringitur, ſeparata ejuſdem nominis diſciplina ſubminiſtrat. Reſtat igitur, ut vitia, quæ in philoſophico potiſſimum ſermone cavenda ſunt, non nihil expendamus, ac opportuna ſimul remedia ſuppeditemus.

Quæ in eo vitia, & quomodo vitanda? 1.) Nonnulla ex naturali vocabulorum imperfectione ortum ducunt; ipſa quippe eorum natura efficit, ut plurimorum ſignificatio valde dubia, ac incerta evadat. Et primum quidem, cum vocabulorum numerus relate ad ideas, quas mens humana ſibi comparare poteſt, admodum exiguus ſit, neceſſitate quadam compellimur, ut diverſas, ac multum etiam diſcrepantes inter ſe ideas una, eademque voce exprimamus. Deinde vero, ut loquentis ſermo rite intelligatur, requiritur, ut ideam, quam vox quælibet ſignificat, accuratiſſime concipiamus, ac mente retineamus: id vero eſt, cujus exſecutio quandoque difficillima evadit, ac præcipue quidem in tribus caſibus. 1.) Quando ideæ per voces ſignificandæ admodum complexæ, & ex quam plu-

plurimis partialibus quaſi compoſitæ ſunt; inde ſæpius contingit, ut vix duo homines eamdem prorſus, invariatamque de eadme re ideam habeant, etſi eodem utantur vocabulo: tot, tamque diverſæ populorum opiniones in rebus quam plurimis, præſertim moralibus, id luculente evincunt, ut cum quæritur, *quid juſtum, injuſtumve ſit?* 2.) Quando ideæ partiales, ex quibus una complexa conſurgit, ſeu quando notæ illæ, quæ diſtinctam objecti ideam efficiunt, abſque naturali inter ſe connexione prorſus ex arbitrio, atque ſine reſpectu ad objectum reipſa exſiſtens colliguntur, ſicque collectæ certo deſignantur vocabulo; ſicut enim hæc idearum colligatio ſine certa lege ſit, ita pronum eſt, ut termini eamdem denotantis ſignificatio diverſa ſit in diverſis mentibus: ejuſmodi ſunt termini *honor*, *gloria*, *gratitudo*. Atque inde eſt, quod veterum ſcripta tantam quandoque obſcuritatem præſeferant, quam doctorum commentationes adeo non tollunt, ut etiam augeant. 3.) Quando ſignificatio vocis refertur quidem ad objectum reapſe in natura exſiſtens, cujus tamen interna, ac realis conſtitutio nos latet; id contingit vocabulis fere omnibus, quibus corpora naturalia exprimimus: ſic quis determinet, quam accurate ideam terminus *aurum* deſignet? an in ea ſolus *color* cum *ſoliditate* reluceat? an etiam *ductilitas? gravitas? malleabilitas? ſolubilitas in aqua regis?* num aliæ præterea proprietates ſolis fortaſſe chemicis notæ?

Huic porro obſcuritati ex naturali vocum imperfectione oriundæ ex parte medemur, ſi vocabula, quibus utimur, accurata definitione declaremus, atque hac ratione eorum ſignificatum determinemus; ſi enim notæ omnes, quas una idea complecti volumus, enumerentur, evaneſcet difficultas prope omnis,

quam nos audiens experitur in eo, ut tot ſolum ideas partiales, nec plures, nec pauciores, has & non alias in unam complexam componat: ſic non eſt timendum, ne enuncians vocabula, *gloria*, *honeſtas*, *aurum* non rite intelligar, ſi enumerando notas omnes quamlibet ideam his terminis ſubjectam diſtincte declarem. Quodſi talis notarum enumeratio fieri nequeat, ut contingit in omnibus ideis confuſis, ſive ſimplicibus, obſcuritas tolletur quandoque adhibendo vocabulum ſynonimum, quod vulgo notius eſſe ſolet; ſemper vero, & certius vel deſignando aliquod ſubjectum auditori alioquin non incognitum, in quo objectum illius ideæ ſimplicis deprehendatur: vel ponendo etiam ante ſenſus ipſum illud ſubjectum, quod ſua impreſſione eam in alterius mente ideam excitet: ſic ſi quis ignoret, quis ſit *color cæruleus*, jubendus eſt de die, tempeſtate admodum ſerena cælum intueri, vel vero corpus aliquod eo colore imbutum ante ipſius oculos ponendum.

2.) Alii vocabulorum abuſus partim ex voluntaria ſocordia, partim ex neglectu debitæ attentionis, partim aliis etiam ex cauſſis proficiſcuntur. Abutimur nimirum vocabulis, cum iis claram, aut diſtinctam ideam non affigimus, aut, quod deterius eſt, prorſus nullam, ut termini enunciati ſint inanes ſine mente ſoni. Vitium hoc ex eo potiſſimum oritur, quod a teneris annis voces prius memoriæ imprimamus, quam ideam per eas ſignificatam accurate in mente conformemus; immo per longam ab ipſa pueritia conſuetudinem habitum quemdam contrahimus, vocabula quædam ideo ſolum pronunciandi, quod ad linguam veniant, quin umquam de eorum ſignificatione determinanda ſolliciti ſimus, quo fit, ut perſæpe non tam hominum, quam pſit-

pſittacorum more loquamur. Sed & pertinacia, qua nonnulli opinioni etiam falſæ adhærent, frequenter in cauſſa eſt, ut ejuſmodi vocabula excogitentur, tamquam firma deſperatæ cauſſæ propugnacula, intra quæ ab adverſariorum telis ſeſe tutos exiſtimant. Scatent certe terminis inanibus multorum, præſertim veterum philoſophorum ſcripta, qui non alio ex fine confidi videntur, quam ut non intelligantur, liteſque, ac diſputationes, in quibus fere ſolis doctrinæ profunditatem repoſuerunt, diutius protrahantur.

Sed promtum eſt huic vitio remedium: prius ideam in mente concipiamus, tum de ſigno, quo ea exprimatur, ſolliciti ſimus; ab ideis enim vocabula dirigi, ac ordinari debent, non viciſſim a vocabulis ideæ, quippe ideas ex verbis, non verba ex ideis diſcimus. Oportet igitur ideas abſque vocabulorum adjumento efformare, ita ut menti noſtræ repræſentemus id, quod de qualibet re cognoſcimus, quin ſonus, compoſitio, aut vocabulorum ſuavitas quidpiam immutet, addat, aut minuat ex eo, quod antea nitide, ac diſtincte concepimus. Id porro eo majori cura præſtandum erit, quo idea enuncianda magis fuerit complexa: quam multi quotidie vocem *juſtitia* uſurpant, qui tamen rogati, quam idearum collectionem per eam ſignificent, reſponſi loco tacere coguntur, quod nempe ideas illas partiales, quæ hanc complexam ingrediuntur, numquam clare conceperunt, neque earumdem numerum accurate definiverunt.

3.) Cum in continuo ſermonis decurſu eamdem vocem in diverſa ſignificatione adhibemus; quod vitium valde pervulgatum eſt; ac ſæpe quidem ex vocabulorum penuria, frequentius tamen ex incuria quadam, aut etiam malitia proficiſcitur. Ejuſmodi homi-

nes Lockius, qui toto libro tertio *de intelle-ctu humano* præſtantiſſima de vocabulorum uſu præcepta tradidit, unde complura huc tranſtulimus, cum eo comparat, qui, dum rationes quaſdam componit, eodem charactere 8. jam ſeptem, jam novem deſignaret, prout ſibi commodius videretur. Talis profecto aut inſaniæ, aut inſignis doli notam effugere haud poſſet.

Senſus igitur vocabulorum in eodem ſermonis filo conſtanter idem retineatur. Quodſi neceſſitas quandoque contrarium exigat, præmoneatur auditor, vel lector, niſi id adjuncta manifeſte oſtendant, quod tamen facile præſumi non debet, eum auditorum mens ſenſui primum ſtabilito intenta ſæpius ad eadem non reflectat. Præcipue id de terminis æquivocis intelligendum, quibus, ut optandum foret, prorſus abſtinere non licet. Non equidem grande erroris periculum eſt, cum res diverſæ per æquivocum terminum indicatæ nullam inter ſe relationem aut nexum habent; ſic nemo propterea confuſas ideas concipiet, quod voce *vertex* jam ad extremitatem capitis humani, jam ad montis, aut arboris ſummitatem denotandam utar; præterquam enim quod hæc, & ſimilia jam fere in vulgus nota ſunt, etiam inter caput humanum, & montis ſummitatem nullus datur nexus. At ubi res illæ inter ſe nexu quodam copulantur, vel relationem cauſæ, & effectus habent, tum omnino obſcuritatis, & confuſionis periculum ingens eſt. Notum eſt inter philoſophos, quanta fiducia Malebranchius poſt Carteſium pronunciaverit, *calorem* in nobis eſſe, contra Peripateticos, qui eumdem in igne latere contendebant; notum eſt pariter, quanta, quamque diuturna inde lis exarſerit; & tamen tota diſſidii cauſſa alia non fuit, quam terminus æquivocus *calor* di-

ver-

verſis rebus inter ſe tamen connexis attributus. Si Carteſiani ex una parte declaraſſent, ſe per terminum *calor* intelligere ſenſationem illam, quam admoto noſtro corpori igne ſentimus; & ſi Ariſtotelici ex altera præmonuiſſent, ſe per *calorem* denotare illam facultatem, quam ignis habet eam in nobis ſenſationem cauſſandi, lis tota uno pæne momento deciſa fuiſſet; tam parum enim quiſpiam negaſſet calorem ſecundum Carteſianorum mentem in nobis, ac eumdem in ſenſu Ariſtotelicorum in igne eſſe, quam parum aliquis de vulgo ignorat, dolorem in nobis, pungendi vero facultatem in acu admota ineſſe.

4.) Cum obſcuritatem de induſtria affectamus, captantes inde reconditæ cujuſdam, ac ſublimioris doctrinæ famam. Fit id potiſſimum vel adhibendo vocabula barbara, ac peregrina feriendæ imaginationi apta, quod alchemiſtis perfamiliare eſt; vel utendo terminis receptis in ſignificatione nova, inuſitata, ac ad arbitrium privatum inſtituta; vel introducendo terminos novos, quin ulla declaratio præmittatur; vel denique uſitatos etiam terminos præpoſtere conjungendo, ut ſenſus ordinarius confundatur, & quædam quaſi ænigmata prodeant. Omnes diverſæ antiquorum philoſophorum, & hæreticorum ſectæ obſcuritatis hujus affectatæ exempla prope infinita nobis ſuppeditant. Sed & nunc quoque ea a nonnullis, ut ſubtilitas quædam, ac neſcio, quæ mentis penetrantis vis adoratur, cum tamen aliud in ſe non ſit, quam docta ignorantia.

Utamur igitur vocabulis uſitatis, receptaque eorum ſignificatione; etſi enim hæc quoad originem ſuam arbitraria ſit, non tamen propterea cuivis privato eam jam in uſum inductam immutare licet. Quis namque te in-

telligat, ſi illam belluam, quam *equum* vulgo vocant, *canis* nomine compelles, & viciſſim, licet utrumque vocabulum ex æquo indifferens ſit ad hanc, vel illam denotandam? Quæ porro ſit uſitata vocabulorum ſignificatio, a conſuetudine vulgi deſumendum non eſt; is enim potiſſimum non niſi vagas, ac indeterminatas ideas terminis ſubjicit, nec in retinendo eorum ſenſu conſtans eſſe ſolet. Illi multo maxime attendendi ſunt, qui ſtudio, & labore perfectiores de rebus ideas ſibi compararunt, & in quorum ſcriptis, ac ſermonibus accuratior vocabulorum uſus communi doctiorum ſuffragio elucet. Eam in rem *Log. 2. art. 20.* doctiſſimus P. Buffier ſuadet, ut conſuetudinem cum iis arctiorem colamus, qui diſtinctas, ac præciſas rerum ideas, quibus imbuti ſunt, claris, nitidiſque verbis exponere ſatagunt; confuſio enim idearum, ut ait, eſt quædam quaſi peſtis, quæ tacite ab iis, quibus familiarius utimur, in nos ſerpit. Sed quamvis ſermonis nitor vocabula longo uſu comprobata requirat, id tamen rerum, idearumque novitas non ſemper admittit; cum enim ſcientiæ novas perpetuo acceſſiones obtineant, neceſſe eſt, ut multa decurſu temporis inveniantur, quæ primis linguarum inſtitutoribus prorſus ignota fuerunt, ad quæ proinde ſignificanda antiquitas nullas nobis voces tranſmiſit. In hujuſmodi igitur caſibus licebit recentibus, ac minus etiam ſonantibus vocabulis uti; quin immo ſi neceſſitas ita poſtulet, de novo quoque confingere, ſi modo ideam, quam communicatam cupimus, accurate antea determinemus. Veniam hanc facit ipſe oratorum princeps Tullius: „ Qui- *De fin. 3. c. 1.* „ bus etiam verba parienda ſunt, imponen- „ daque nova novis rebus nomina, quod qui- „ dem nemo mediocriter doctus mirabitur, „ cogitans in omni arte, cujus uſus vulga-

„ ris

„ ris, communiſque non ſit, multam novita-
„ tem nominum eſſe, cum conſtituantur ea-
„ rum rerum vocabula, quæ in quaque arte
„ verſentur. „ Atque hinc etiam minus recte agunt ii, qui vocabula *artium*, ea intelligo, quæ in quavis arte, ac diſciplina jam civitate donata ſunt, univerſim omnia, quod cum debita ſermonis elegantia non cohæreant, expuncta volunt; id genus enim voces eo potiſſimum fine inventæ ſunt, ut magno compendio id convenientiſſime ſignificent, quod ſecus non niſi per multas ambages, longaſque periphraſes explicari poſſet. Neque vero ex eo, quod termini hi vulgo, aut artis illius imperitis ignoti ſunt, ulla ratione conficitur, ſermonem noſtrum ex merito obſcurum dici poſſe; cum enim ipſa objecta a talibus ignorentur, quid mirum, ſi terminos quoque, quibus eruditi eadem exprimunt, non intelligant? nolim tamen, ut quis putet, me eorum hic comprobare morem, qui ejuſmodi vocabulis utuntur, quin diſtinctam eis ideam ſubjiciant, aut eo ſolum fine, ut ignorantiam ſuam tegant.

5.) Cum ſermo noſter tropis, figuriſque oratoriis nimium abundat. Hæc equidem ornamenta tum merito adhibentur, cum placere tantum cupimus; at quando inſtruendus eſt auditor, quando veritas communicanda, quando judicium corrigendum, eorum uſus tolerari non debet; ornatus nimius imaginationem auditorum ferit, attentionem a rebus ipſis avertit, affectioneſque vehementiores in eorum animis concitat; unde conſequens eſt, aut veritas minus clare pervideatur, judiciaque perturbatis animi motibus magis, quam rationi congrua efformentur. Sit ergo ſtilus philoſophi planus, nitidus tamen: abſtineatur a tropis, & figuris, ceteriſque elegantiis, quæ veritati cognoſcendæ plurimum obſunt.

Caveatur præterea nimia brevitas, & importuna loquacitas; utraque enim eſt mater obſcuritatis; illa omittit multa, ſine quibus auditor mentem noſtram aſſequi non poteſt: hæc nimia verborum copia animos obruit, ac attentionem diſtrahit.

6.) Cum vocabula accipimus pro rebus ipſis, aut per eadem reales rerum eſſentias vere exprimi putamus. Termini abſtracti huic potiſſimum periculo ſubjiciuntur, neque eſt ulla philoſophorum antiquiorum ſecta, quæ vocabula quædam abſtracta, ſibique perquam familiaria pro rebus ipſis reapſe exſiſtentibus non venditaſſet; ſic Ariſtotelici *formas ſubſtantiales*, *animas vegetativas*, *horrorem vacui*; ſic Platonici *ideas æternas*, *animam mundi*; ſic alii denique *genera* & *ſpecies* res eſſe realiter exſiſtentes ſibi perſuaſerunt. Eſſentiæ deinde reales rerum quam frequenter nos latent. Quis pro certo definiat, quæ proprietates requiſitæ ſint, ut quidpiam ex vero dicatur *aurum*? An ſola *gravitas cum colore*? An etiam *ductilitas*? *malleabilitas*? An omnes ſimul? An ſublata una ceſſet eſſe aurum, & qua? Et quoties tamen, dum declarationem cujuſpiam vocis audimus, ea internam rei ipſius conſtitutionem exprimi firmiſſime putamus? Inde vero duo hæc neceſſario conſequuntur, ut primo auctori, qui eodem, quo nos, vocabulo utitur, noſtras ideas affingamus, contra monitum (§. 81. cor. 2.): deinde ut rem eam arcto adeo nexu cum determinato vocabulo colligemus, ut quamprimum aliud licet ſynonimum enunciari audimus, perturbemur, aliudque objectum deſignari arbitremur.

Caveamus proinde, ne umquam vocabula ad res ipſas transferamus, autumantes, omnia, quæ in rebus inſunt, per eadem accurate denotari; ſed illud alte menti infixum

hæ-

hæreat: tantum per vocabula de rebus ipſis ſignificari, quantum loquens de iis cognoſcit.

CAPUT VI.

DE DEFINITIONE.

LXXXIV. *Definitio* eſt oratio, qua ideam diſtinctam (§. 55.), & completam (§. 56.) termino cuidam reſpondentem explicamus; *definitum*, ſeu *res definita* eſt idea termino illi ſubjecta, vel res ipſa per eam ideam repræſentata: ſic *ſignum ideæ in mente latentis articulata voce prolatum* eſt definitio; res definita eſt *vocabulum*: item *ſimplex rei repræſentatio in mente facta* eſt definitio *ideæ*. Quid definitio, & definitum?

Coroll. 1. In definitione igitur debent diſtincte enumerari notæ objecti, quas idea illa repræſentat, & quidem nec plures, nec pauciores, quam quæ ſufficiunt objecto ab omnibus aliis ſemper diſcernendo.

Coroll. 2. Cum idea diſtincta eadem ſit cum idea complexa (§. 75. ſchol.), in definitione per notarum enumerationem nihil aliud fit, quam ordinata idearum partialium, e quibus idea complexa definienda coaleſcit, evolutio: ſic idea complexa, quæ termino *logica* exprimitur, conſtat ideis partialibus, 1. *ſcientia* 2. *qua facultatem cognoſcitivam dirigit*, 3. *propoſitis explicate legibus* 4. *in cognoſcenda veritate*.

Coroll. 3. Hinc ideæ confuſæ, ſeu ſimplices definiri nullo modo poſſunt (conf. §.55. ſch. & §. 83. ſchol. n. 1. fin.). Sic ideæ *luminis*,

coloris, *ſoni*, & omnium *ſenſationum* noſtrarum definiri nequeunt.

Quo fundamento definitio dividenda?

LXXXV. Plures ideæ partiales in unam complexam, quæ definiri debeat, colligatæ vel inter ſe pugnant, & una conſiſtere nequeunt, ut ideæ *rotunditatis*, & *quadraturæ*: quo in caſu idea complexa deceptrix eſt, ac reipſa nulla, & proinde etiam ejus definitio inanis ſine mente ſonus (§. 51. cor. 3. & §. 77. cum ſchol.); vel vero eæ inter ſe non opponuntur, ac ſimul conſiſtere poſſunt, atque propterea etiam res ipſa per ideam complexam repræſentata eſt poſſibilis (§. 51. cor. 1. & 2.): ut ideæ *figuræ*, & *rotunditatis*; item ideæ *animalis*, & *rationalis*. Hanc porro poſſibilitatem rei, quæ per ideam complexam definiendam repræſentatur, vel manifeſtat ipſa definitio, vel non.

In nominalem, & realem?

LXXXVI. Definitio *nominalis* eſt, qua ſolum ſpectata nondum conſtat rem eam eſſe poſſibilem: ut eclipſis lunæ eſt *defectio luminis lunæ plenæ*. Circulus eſt *ſpatium lineæ curva in ſe redeunte, & undique æqualiter a centro diſtante clauſum*. Definitio, quæ ſimul oſtendit rem per ideam complexam exhibitam eſſe poſſibilem, dicitur *realis* vel *genetica*: id vero obtinetur, ſi cauſſa, & modus, quo res illa oriri poteſt, diſtincte exponatur: ut eclipſis lunæ eſt *defectio luminis lunæ plenæ, quæ oritur ex umbra telluris ſolem inter, ac lunam interpoſitæ. Si linea quædam recta in uno puncto fixa circumducatur, alterum ejus extremum deſcribit circulum*.

Quomodo nominalis in geneticam convertenda?

Schol. 1. Definitio nominalis quoque in geneticam tranſit, ſive potius geneticæ æquiparatur, quam primum rei per ideam complexam repræſentatæ poſſibilitas certis argumentis evincitur; cum enim omnis idea, quæ objectum vel poſſibile tantum, vel reapſe exſiſtens.

ſtens repræſentat, vera ſit, ac realis (§. 51. cor. 2.), hoc ipſo quod conſtet rem eam eſſe poſſibilem, conſtat quoque ideam definitam non eſſe deceptricem (conf. §. 85.). Sic in exemplo definitio nominalis Dei, quod ſit *ens neceſſarium*, vel *infinite perfectum*, evadit genetica, ſi ſolide comprobetur ens, quod neceſſitate abſoluta ad exſiſtendum, aut infinitis perfectionibus pollet, in ſe non repugnare. Contra ubi rei per ideam definiendam exhibitæ repugnantia demonſtratur, notum fit eam ideam fallacem eſſe, ac deceptricem, adeoque reipſa nullam; proinde etiam definitionem ipſam inanium duntaxat ſonorum collectionem; atque adeo ſine mora repudiandam. Ita definitionis nominalis, qua impius Spinoza Deum ponit *ſubſtantiam cogitantem*, *individuam*, *ac infinite extenſam*, abſurditas patefit, cum id genus ſubſtantiæ pugnantia involvere demonſtratur. Atque inde manifeſtum fit primo, definitionem eo uſque ſolum permanere *mere* nominalem, quoad nec poſſibilitas, nec impoſſibilitas rei evidenter elucet: deinde qua ratione definitiones nominales probandæ ſint; id quod in primis philoſopho curæ eſſe debet, niſi in paralogiſmos, erroreſque quam plurimos delabi velit.

Schol. 2. Quod ad definitiones reales attinet, eæ nomenclationem hance propterea ſolum ſortitæ ſunt, quod ideam *realem*, id eſt, *realiter* in mente exſiſtentem exprimunt. Qui earum *realitatem* latius extendit, & cum veteribus exiſtimat, per eaſdem *realem*, ſeu phyſicam rei per ideam repræſentatæ naturam, aut eſſentiam ſignificari, vehementer fallitur. Phyſica ſiquidem rerum eſſentia non in una, vel altera proprietate, quæ ceterarum fons ſit, & origo; ſed in reali, ac integra omnium proprietatum collectione conſiſtit, quæ nobis ut plurimum incognita eſt. Definitiones

ni-

nimirum noſtræ non exprimunt niſi naturas rerum *ideales*, hoc eſt, prout eas mente concipimus, & quantum de iis in idea noſtra repræſentatur. Quodſi natura, vel eſſentia rei idealis eadem ſit cum natura, vel eſſentia rei phyſica, & reali, tum omnino ex vero dici poteſt per definitionem exprimi realem rei naturam; ſed illud eo ſolum caſu contingit, cum nobis ipſis ſine attentione ad rerum exſiſtentias ex arbitrio ideas complexas in abſtracto efformamus; tum enim objectum ideæ ejuſmodi eſt in ſe præciſe tale, etſi ut tale non exſiſtat. Ita agunt geometræ, cum ideam *circuli*, vel *trianguli*, abſtrahendo ab illius reali exſiſtentia, concipiunt, ac ſubinde ex ejuſdem natura per definitionem cognita, vel potius arbitrarie ſtatuta diverſas deducunt proprietates. Ita quoque res habet in moralibus, cum quis ideas quaſdam partiales in unam complexam componit, eique terminum attribuit, v. g. *parricidii*, *ſacrilegii*, *juſtitiæ*, parum ſollicitus, an umquam actus talis exſtiterit, aut exſtiturus ſit: id quod primis legum conditoribus frequentius evenit.

Quid definitio eſſentialis, accidentalis, & deſcriptio?

LXXXVII. Res per eſſentialia & attributa ſemper: per modos vero, & relationes pro aliquo tantum tempore ab aliis diſcernitur (§. 52.); cum igitur in definitione notæ, per quas res ab omnibus aliis ſemper differt, enumerandæ ſint (§. 84. coroll. 1.); evidens eſt quamlibet definitionem fieri debere vel per eſſentialia, vel per attributa. Definitio, in qua notæ rei eſſentiales enumerantur, dicitur *eſſentialis*, ut homo eſt *animal ratione præditum*: triangulum eſt *ſpatium tribus lineis clauſum*. Definitio, in qua attributa rei recenſentur, *accidentalis* audit: ut homo eſt *animal veræ eruditionis capax*; triangulum eſt *figura, quæ habet tres angulos*.

los. Ea vero definitio, in qua modi, & relationes adducuntur, impropria eſt, & potius *deſcriptio* compellari meretur: ut eſt hominis apud Tullium; *animal providum*, *ſagax*, *multiplex*, *acutum*, *memor*, *plenum rationis*, *&* *conſilii*, vel ſi dicam: Venus eſt *ſtella*, *quæ hodie veſpere paullo poſt occaſum ſolis oritur*, *videturque ex hac feneſtra in linea recta cum vertice turris S. Stephani*. *De leg. l. 1. c. 7.*

Schol. 1. Ideas generum & ſpecierum definimus, cum in illis eſſentialia, & attributa facile diſcernamus; contra vero, cum iſtud in ideis rerum ſingularium præſtare nequeamus, eas deſcribimus. Sic phyſici plantas, lapides, aliaque corpora naturalia; hiſtorici provincias, urbes, & facta particularia; poetæ hortos, palatia &c. longa ſingularum partium, proprietatum, & affectionum enumeratione depingunt. Judices quoque in litteris accuſatoriis, quibus reum fugitivum perſequuntur, ejuſmodi deſcriptiones adhibent, cum externum ejus habitum, magnitudinem, faciei conformationem, ceteraque omnia, per quæ diſcerni poſſit, enumerant.

Schol. 2. Cum dicunt definitiones nominales eſſe arbitrarias, id non ita intelligendum eſt, quaſi cæco arbitrio ſine ullis legibus termini ſignificatio determinari, aut ideæ cujuslibet definitio concipi poſſit; ſed arbitrariæ ſunt, quia cum eadem res vel per eſſentialia, vel per attributa, eaque diverſa definiri queat, quibus horum quis uti velit, optio datur; ut adeo de eadem re plures diverſæque definitiones æque bonæ condi poſſint. Sic definimus Deum vel per *ens*, *quod ſibi omnia cognoſcibilia diſtinctiſſime repræſentat*; vel per *ens infinitum*, aut *neceſſarium*, vel per *ens a ſe*, *a quo tota rerum univerſitas in exſiſtendo pendet*. Ex his tamen, & ſimilibus definitio- *Definitiones nominales quo ſenſu arbitrariæ?*

nis

nibus ea ſemper deligenda eſt, quæ methodo, qua in præſenti res tractatur, commodius inſervit; atque in genere ea definitio ceteris præſtantior habetur: quæ clarior, fecundior, atque ad finem propoſitum accommodatior eſt. Deinde cum vocabula neceſſariam cum ideis connexionem non habeant (§. 74. ſchol. fin.); ſi ſolum de eo agitur, ut mens mea aliis patefiat, arbitrarium utique mihi erit meam ideam per quodcumque vocabulum exprimere; ac definitionem nominalem quamcumque condere. At ſi vulgatus termini ſignificatus attendi debeat, uti debet ſemper, niſi ratio graviſſima obſtet (§. 83. ſchol. n. 4.), non utique in meo poſitum eſt arbitrio, ut terminum ſic potius, quam aliter definiam. Nunc quæ ad bonam definitionem requirantur, videamus.

Leges Legitimæ Definitionis.

1.) *Definitio ſit clara, & perſpicua:* cum enim ea ſit quædam declaratio, ſi obſcura ſit, finem ſuum non obtinebit. Fit porro definitio obſcura quinque potiſſimum de cauſſis: 1. ſi omnibus vocabulis definitionem ingredientibus eadem confuſa idea, quæ ipſi termino definito, reſpondeat; ut ſi dicas: *logica eſt ſcientia, quæ tradit regulas logicas*, vel *idea clara eſt illa, qua mihi aliquid clare repræſento*. 2. Si adhibeantur termini per ſe obſcuri, æquivoci, improprii, aut prorſus inanes; ejuſmodi ſunt complures definitiones Ariſtotelis, ejuſque aſſeclarum, ut motus, *quod ſit actus entis in potentia quatenus in potentia*, vel luminis, quod ſit *actus tranſparentis, quatenus tranſparentis*, vel animæ, quod ſit *primus actus corporis phyſici potentia vitam habentis*. Sic definitur obſcurum per obſcurum. 3. Si ipſum definitum in definitionis membris recurrat,

ut

ut ſunt illæ veterum: quantitas eſt *accidens, a quo res dicitur quanta*, vel exſiſtentia eſt *id, quo res actu exiſtens redditur*. Sic definitur idem per idem. 4. Si in definitione ponatur terminus, qui iterum per rem prius definitam definiri debeat, ut adeo definitum anterius ingrediatur definitionem poſterioris, & definitum poſterius ponatur in definitione anterioris; ut ſi dicas: naturale eſt *effectus, qui contingit abſque miraculo*, & miraculum eſt *effectus non naturalis*; vel lex eſt *voluntas ſuperioris obligans inferiores*; & ſuperior eſt, *qui habet poteſtatem ferendi legem*. Sic committitur circulus vitioſus, qui non in duabus tantum definitionibus, ſed in pluribus etiam ſibi ſuccedentibus contingere poteſt. 5. Si recenſeantur notæ auditori incognitæ, ut ſi geometriæ imperito dicas: hypothenuſa eſt *illa trianguli rectanguli linea, cujus quadratum aquatur quadratis cathetorum ſimul ſumtis*. Eſt quidem hæc obſcuritas ſolum relativa, quantum tamen fieri poteſt, evitanda; loquimur enim, ut intelligamur ab iis; qui nos audiunt: definitione utimur, ut in iis, quibuſcum agimus, ideam diſtinctam, & completam, quam ipſi antea concepimus, excitemus. Peccant proinde, qui non accommodate ad auditorum ſuorum captum loquuntur, & inaniter ſibi ipſis ſapientes videntur, quod ab iis, ad quos verba faciunt, non intelligantur (conf. §. 83. ſchol. n. 4.)

2.) *Definitum & definitio ſint ſalva veritate convertibilia*, hoc eſt: debent ſibi poſſe mutuo ſubſtitui, quin ſenſus mutetur, aut veritas lædatur; cum enim in definitione evolvantur ideæ partiales, quibus idea complexa, quæ definitur, conſtat (§. 84. cor. 2.); totum vero ſit æquale omnibus partibus ſimul ſumtis, neceſſe eſt, ut idem prorſus obtineatur ſenſus, ſeu ipſa idea complexa, id eſt, defi-

definitum, ſeu illius ideæ partiales ſimul omnes, hoc eſt, definitio ponatur: ſic idem eſt, ſeu dicam, *logica operam do*; ſeu, *ſcientia, quæ facultatem cognoſcitivam propoſitis explicate legibus in veritate cognoſcenda dirigit, operam do*. Contra hanc legem duobus fere modis peccari poteſt. 1. Si definitio ſit *latior* ſuo definito, id eſt, ſi integra definitio etiam rebus a definitio diverſis conveniat; qualis foret hæc: vocabula ſunt *ſigna idearum*, quippe etiam ſuſpiria, gemitus, geſticulationes idearum ſigna eſſe queunt. Vel hæc: genus eſt *eſſentialis plurium ſimilitudo*, nam hoc quoque de ſpecie cum veritate affirmatur. 2. Si definitio ſit *anguſtior* ſuo definito, id eſt: ſi definitio non conveniat omnibus, & ſingulis, quæ ſub definitio continentur; ut ſi dicas: homo eſt *animal ratione, & doctrina præditum*, excluduntur enim alii homines non docti. Vel idea eſt *repræſentatio diſtincta notarum objecti*, quod non convenit ideæ confuſæ. Utrumque porro hoc vitium facile vitatur, ſi, quod alioquin idea completa exigit (§. 56.), tot duntaxat notæ recenſeantur, quot præciſe requiruntur ad hoc, ut res definita ab omni alia diſcerni poſſit; quando enim pauciores ſunt notæ allatæ, definitio erit deficiens, latiuſque patebit; ſi plures: ea redundabit, ac juſto anguſtior, ſaltem potiſſimum, efficietur. Verbo, ut definitio perfecte ſit reciproca ſuo definito, neceſſe eſt, ut ſit *adæquata*, hoc eſt, ut *ſoli*, & *omni* definito conveniat.

De par. c. 12. 3.) *Definitio conſtet genere proximo, & differentia ultima*, ut docet Cicero. Debet enim primum per definitionem declarari definitum, id quod eo facilius præſtatur, quo ideæ adhibentur clariores; ſunt vero univerſales, qualis quoque eſt idea generis, clariores ſingularibus (§. 64. cor. 2.). Accipitur

por-

porro genus proximum, quia altiora genera notas ſufficientes non continent, quarum proinde defectu definitio evaderet latior, ut patet, ſi dicas: homo eſt *vivens rationale*, quod omni ſpiritui competit. Debet deinde per definitionem definitum diſcerni ab omni alia re; unde neceſſe eſt, ut differentia, ſive eæ notæ adferantur, quæ illud diſcrimen efficiant: ſufficit vero, ut illæ notæ recenſeantur, per quas definitum differt ab omni alia re ſub hoc genere proximo contenta, id quod philoſophi per *differentiam ultima* denotare volunt; ſic etſi homo per *rationem* non differat a puro ſpiritu, quia tamen per eam diſcernitur ab omni eo, quod ſub genere proximo *animal* continetur, bonam condes definitionem dicendo: homo eſt *animal ratione præditum*. Talis enim differentia conjuncta cum genere proximo jam plenum efficit rei definitæ ab omnibus aliis diſcrimen; defectu differentiæ ultimæ vitioſæ ſunt hæ definitiones: homo eſt *animal quoddam*; vocabula ſunt *ſigna idearum*.

4.) *Definitio non ſit negativa*: hac enim ratione non declararetur idea termino reſpondens; ſed indicaretur ſolum, quæ idea termino illi ſubjecta non ſit; unde palam quidem, fieret quid res definita non ſit, non vero, quid ſit, quod tamen per definitionem conſequi cupimus; ut ſi dicas: logica *non eſt ſcientia, quæ tradit regulas honeſti*; templum *non eſt locus aptus pro convivio*. Lex hæc, licet univerſe obtineat, in duobus tamen caſibus exceptionem patitur. 1. Quando affirmativa definitio in poteſtate non eſt, ut cum agitur de rebus per ſe obſcuris, aut ſupra humanæ mentis captum poſitis. 2. Quando duo adſunt contradictorie ſibi oppoſita; tum enim altero eorum jam affirmative definito, alterum recte negative definitur; & ratio eſt: quia ſatis

con-

conſtat, quid res ſit, cum oppoſiti per definitionem præmiſſam jam cogniti definitio de eadem negatur; ſic ubi *impoſſibile* affirmative definitum fuerit dicendo: *eſſe id, quod in notis eſſentialibus contradictionem involuit*, facile patebit, quid ſit *poſſibile* priori oppoſitum, ſi de eodem prior definitio negetur, dicendo: *eſſe id, quod in notis eſſentialibus non involuit contradictionem*; ſic pariter poſtquam definivi compoſitum eſſe id, *quod conſtat ex partibus reipſa inter ſe diverſis*, definiam ſimplex eſſe id, *quod ex ejuſmodi partibus non conſtat*.

Quis uſus definitionum? LXXXVIII. Per definitionem nominalem terminorum ſignificatio figitur; definitio enim generatim ideam diſtinctam, & completam termino cuidam reſpondentem ſignificat (§. 84.). Igitur & definitio; ſive ut mere nominalis, ſive ut jam reali æquipollens (§. 86. ſchol. 1.) ſpectetur, præſentem termini ſignificatum ita explicat, ut nullus de eo prudenter dubitandi locus auditoribus, ſive lectoribus relinquatur; ſed hoc eſt terminorum ſignificationem figere: ergo patet propoſitum.

Schol. Atque inde eſt, cur nonnulli cum veteribus definitionem nominalem eam eſſe putent, quæ ſignificationem termini explicat. Ceterum quanti momenti ſit, fixos, & conſtantes vocabulorum ſignificatus habere, vel ex iis patet, quæ ſupra (c. 5.) copioſe diximus. Sed & alia quoque eſt definitionum utilitas in omni omnino diſciplina latiſſime patens. Definitiones imprimis nominales prima præbent ratiocinandi principia, ut inde deducantur, quæ de rebus cognoſci poſſunt; nam ubi natura idealis per definitionem vocabuli ſtatuta eſt, variæ inde conſecutiones deducuntur, ac veritates deteguntur, quarum omnium collectio perfectam, completamque ſcientiam una hac

de-

definitione, tamquam fundamento; innixam conſtituit: ut v. g. eſt geometria, quæ omnis initium ducit a definitione puncti, & lineæ; unde ea tamen ad ſublimiſſimas veritates, quas evidentiſſime demonſtrat, progreditur: idem quoque magna ex parte in metaphyſica obtinet, ubi ea, ut oportet, methodo ſcientifica pertractatur. Id unum tamen cavendum hac in re, ne veritates, quæ ex ſola eſſentia ideali per definitionem expreſſa profluunt, ad rerum exſiſtentias, realeſque earum naturas ante transferantur, quam rei non modo poſſibilitas, ſed ipſa quoque exſiſtentia demonſtretur. Definitiones deinde reales, cum modum, quo res quælibet oriri poſſit, cauſſaſque diſtincte explicent (§. 86.), ad id conducunt, ut eorum, quæ rei inſunt, aut ineſſe poſſunt, rationes inveniantur. At vero licet definitiones in quamvis ſcientia uſum præſtent maximum; non ideo tamen nimium accumulari debent, ut eſt ingens ea in re nonnullorum libido; nam præterquam, quod ideæ ſimplices alioqui definiri nequeant (§. 84. cor. 3.), multa de ſe eam præferunt claritatem, quæ definitionis ope magis obſcurari, quam illuſtrari poſſit: & profecto, ſi non darentur quædam, quæ amplius definiri nec debeant, nec poſſint, neceſſe foret, ut abſque ulla verum ſenſum umquam aſſequendi ſpe in infinitum progrediamur.

CA-

CAPUT VII.

DE

DIVISIONE.

Quid diviſio? LXXXIX. *Diviſio* eſt vel ideæ complexæ in ſuas partiales (§. 75. ſchol.), vel ideæ univerſalis in ſua ſubjecta (§. 62. cor. 2.) diſtributio. Idea, quæ diſtribuitur, *diviſum*: illæ vero, in quas ea fit diſtributio, *membra dividentia* dicuntur. Sic divido *philoſophiam* in *theoreticam*, & *practicam*: *logicam* in *naturalem*, & *artificioſam*.

Quid condiviſio? XC. Idem diviſum ſub diverſo reſpectu conſideratum varie quandoque diſtribui poteſt; id ſi fiat, habentur *condiviſiones*, atque membra *condividentia*: ſic idea reſpectu habito ad modum repræſentandi dividitur in *claram*, & *obſcuram*: in relatione vero ad objectum in *univerſalem*, & *ſingularem*; item in *abſtractam*, & *concretam*.

Quid ſubdiviſio? XCI. Quod ſi membrum dividens rurſus in alia diſtribuatur: oritur *ſubdiviſio*, quæ quandoque diutius continuari poteſt: ſic idea *clara* rurſum dividitur in *diſtinctam*, & *confuſam*; *diſtincta* porro in *adæquatam*, & *inadæquatam*: item *univerſalis* in *genericam*, *ſpecificam*, & *differentialem*.

Quæ utilitas diviſionis? Schol. Utilitas diviſionis major eſt, quam a multis exiſtimetur: numquam enim res ipſa melius perноſcitur, quam ſi ſingulæ ejuſdem partes ſucceſſiva meditatione perluſtrentur. Profecto inde fit, ut mens noſtra clare, ac diſtincte pervideat id in ſingulis partibus, quod in objecto integro propter nimiam ejus compoſitionem obſcure ſolum, aut confuſe intueri

tueri poſſet. Quid quod, dum objectum ex omni ſui parte contemplandum offertur, via præcludatur vitio, in quod homines quotidie fere ruere videmus, cum id, quod non niſi uni, aut alteri parti convenit, ipſi toti attribuunt. Univerſim denique, ut recte cogitemus, aut loquamur, frequentiſſima diviſione utendum eſt; ſermones enim noſtri ut plurimum ſunt de objectis admodum complexis, quæ multis ex partibus conſiderari debent, quodque de illis relate ad unam partem cum veritate affirmatur, frequenter falſum eſt, relate ad aliam partem. Ut porro hæc nobis commoda adferat diviſio, certis ea legibus adſtringi debet, quas ipſe oratorum Princeps præſcribit: has ubi retulero, ad alteram facultatis cognoſcitivæ operationem (§. 48.) exponendam gradum faciam. *De invent. l. 1*

Leges legitimæ Diviſionis.

1.) *Diviſio habeat brevitatem*, quæ vetat; ne ad partes minimas deſcendatur; ſicut enim maxima, ita minima difficulter comprehendimus, nimiaque partium quam plurimarum enumeratio ita repente obruit mentem, ut claritatis loco, quæ unice per diviſionem quæritur, permagna obſcuritas, & confuſio oriatur.

2.) *Diviſio habeat abſolutionem*, enumerando nimirum omnia membra, quæ ſub diviſo continentur, ita ut ea ſimul ſumta exæquent diviſum, atque cum eo reciproca ſint; finis enim diviſionis, qui in eo conſiſtit, ut ope ſucceſſivæ partialium idearum contemplationis tota idea complexa melius pervideatur, omiſſa una, aut altera parte minime attingeretur: ſic male dividis *homines* in *muſicos*, & *poetas*, dantur enim, qui in neutram claſſem referri poſſunt; vel *notas* objectorum in *eſ-*

ſen-

ſentialia, & *attributa*, omittis enim *modos* & *relationes*.

3.) *Diviſio habeat paucitatem*; quæ in eo conſiſtit, ut nullum membrorum otioſe, ac ſuperflue adducatur; id vero contingit, quando membra dividentia ſe invicem complectuntur, ut unum de altero affirmari poſſit. Neceſſe eſt igitur, ut ponantur membra, quorum unum non contineatur in altero, ſecus enim unum bis, adeoque ſuperflue poneretur, nempe una vice explicite, & altera implicite: ſic mala eſt diviſio *entis* in *ſimplex*, *compoſitum*, & *cogitans*: *cogitans* enim in *ſimplici* jam continetur. Item ſi *globum terreſtrem* dividas in *Europam*, *Germaniam*, *Aſiam*, *Africam*, *Americam*; *Europa* quippe continet *Germaniam*. Vitio porro huic facile medemur per ſubdiviſiones (§. 91.): eſt ſcilicet diſtributio primum facienda in membra maxime generalia; tum vero, cum ad quodvis eorum ventum fuerit, evolvenda erunt ea, quæ in illo includuntur: ſic dividatur primum *ens* in *ſimplex*, & *compoſitum*; tum *ſimplex* ſubdividatur in *cogitans*, & *non cogitans*: aut *globus terreſtris* in *Europam*, *Aſiam*, *Africam*, *Americam*; *Europa* dein in *Germaniam*, *Galliam*, *Italiam* &c. rurſum *Germania* &c. in ſuas *provincias*.

CA;

CAPUT VIII.

DE JUDICIO.

XCII. Quodſi duas ideas menti obverſantes inter ſe comparamus, & quamdam inter illas convenientiam, aut repugnantiam detegimus, fit perſæpe, ut huic convenientiæ, aut repugnantiæ mente annuamus, atque convenientes quidem ideas per affirmationem, quæ in ipſo hoc annutu conſiſtit, conjungamus, & repugnantes per negationem ſeparemus. Tum vero *judicare* dicimur. *Judicium* proinde eſt ille actus, quo mens duas ideas annutu convenientiæ viſæ præſtito per affirmationem conjungit, vel annutu repugnantiæ viſæ præſtito per negationem ſeparat. Sic judicio cogitando, *anima humana eſt ſpiritus*, vel *anima humana non eſt corpus*. Quid judicium?

Coroll. 1. Judicium a ſimplici repræſentatione, ſive idea diſcernitur; hæc enim nihil affirmat, aut negat (§§. 48. 50.).

Coroll. 2. Judicium non eſt ſola perceptio convenientiæ, aut diſconvenientiæ duarum idearum, ut vult Lockius, & ejus compilator Clericus; etenim cum mens judicat, quaſi decidit perceptam idearum convenientiam, aut repugnantiam reipſa dari, atque ideo per ipſam hanc deciſionem aliquid quodam modo addit huic perceptioni: & nonne frequenter, mente ad alia converſa, judicio abſtinemus, etſi ea idearum inter ſe relatio nobis clare reluceat?

Coroll. 3. Quodlibet judicium vel affirmativum, vel negativum eſt.

Schol. Quod in primo, & ſecundo corollario dictum eſt, nihil quidem difficultatis patitur, ubi negotium eſt cum ideis ſimplicibus, aut non admodum complexis; verum in caſu oppoſito incauti facile in errorem inducuntur. Sciendum igitur: quantumcumque idea ſit compoſita, lateque patens; ut ſi mihi repræſentem *hominem, qui primum rei domeſticæ anguſtiis preſſus animum ad litterarum ſtudia applicat, tum facto inſigni in iis progreſſu egregiæ doctrinæ famam, ac ſplendidum in republica munus conſequitur*: non propterea ipſa in judicium degenerat, ſed manet, quæ fuerat, idea, cum nondum aliquid affirmet, aut neget; ſed ſolummodo objectum pluribus adjunctis veſtitum repræſentet. Ipſum alterius hominis judicium, quamdiu duntaxat menti meæ repræſentatur, comparate ad me nihil niſi idea eſt: audio exempli cauſſa ab aliis dici, *dare impios, qui religionem revelatam exſtinctam cupiunt*, quamdiu mihi hoc aliorum judicium ſolum repræſento, quin annuam, vel abnuam, nihil in mea mente, niſi idea exſiſtit; ſi ut primum cogito: *ita eſt*: *ſunt impii, qui religionem revelatam exſtinctam cupiunt*; judicium ferro. Animadverſio hæc cum in vita civili, tum in morali magni eſt momenti, ſervitque ad excludendas animo anxietates, quibus ii obnoxii ſunt, qui, dum ejuſmodi ideas ſibi quandoque nec liberas in judiciorum loco habent, de admiſſa culpa fruſtra anguntur.

Quid idea ſubjecti & prædicati? XCIII. In judicio duæ ideæ vel per affirmationem conjunguntur, vel per negationem ſeparantur, idque viſa earum vel convenientia, vel repugnantia (§. præc.): igitur ut judicium rite formetur, requiritur, ut præter duas ideas conjungendas, aut ſeparandas, quarum illa, de qua aliquid affirmatur, vel negatur *ſubjectum*, altera *prædicatum* audit, non

non apparenter tantum, ſed reipſa adſit, mentique reluceat earum inter ſe vel convenientia, vel repugnantia. Sic ut rite judicem, debeo non tantum ideas *animæ humanæ*, & *ſpiritus*, ſed earum quoque convenientiam menti præſentem habere.

Schol. Atque hinc fluit lex univerſim in ferendis judiciis accuratiſſime obſervanda; ut videlicet numquam judicium formemus, antequam idearum convenientiam, aut repugnantiam intime pervideamus: quare eleganter Tullius præcipit: „ ne incognita pro cognitis „ habeamus, hiſque temere aſſentiamus, quod „ vitium effugere qui volet, omnes autem vel„ le debent, adhibebit ad conſiderandas res & „ tempus, & diligentiam. „ Quoties hoc monitum negligimus, graviſſimo errandi periculo non abſque inſignis temeritatis nota exponimur. Eſt equidem hoc adeo apertum, ut non facile a quopiam in dubium trahatur; pauci tamen interea ſunt, qui illud ipſo etiam uſu comprobent. Ex una nimirum parte magna ad judicandum aviditate rapimur, cum hæc ſit ſpecies quædam judiciariæ poteſtatis, ac juriſdictionis, quam amor proprius quam qui maxime exercere ambit; verum quam poteſtas hæc eſt ſcenica, ſimiliſque magiſtratui comico, qui incognita potiſſimum cauſſa pronunciat ſententiam! Ex altera vero parte naturalis quidam animi torpor, deſidia, ac vanitas laboris impatiens nos avocat a ſedula earum rerum contemplatione, de quibus judicare aggredimur. Quid aliud faciunt ii, a quibus novellas, ut ajunt, accipimus? Nonne judicant de negotiis regnorum, provinciarumque graviſſimis? De conſiliis in aulis Principum occulte agitatis? Quid vero de his ſatis exploratum habent? Quis eſt etiam infima de plebe homo, qui belli tempore, licet artis bel-

Quæ ferendi judicii lex?

De off. l. 1.

licæ imperitus, adjunctorum præſentium; machinationumque ab hoſte ſuſceptarum ignarus, non tamen auſu prorſus temerario de ignava belliducis tarditate, aut inconſulta præcipitantia, aliiſque ſententiam ferat? Judicia, quæ in rebus litterariis fiunt, non magis a temeritate quandoque abſunt; judicatur enim frequenter ab illis, qui eam ſcientiam vix ſupremis deguſtarunt labiis. Quid jam de illis cogitandum, qui de ipſa religione, de cultu Dei externo, aliiſque rebus ſacris temeraria, & abſurda in vulgus judicia ſpargunt? Noverit igitur philoſophus naturalem hanc ad judicandum propenſionem ſibi omni vi eſſe coercendam, ſi ſolidum in litteris progreſſum facere, pluri-maque incommoda in civili, ac morali vita a ſe avertere velit: numquam judicet, niſi convenientia, aut repugnantia idearum clare, ac diſtincte cognita.

CAPUT IX.

DE ENUNCIATIONE ET EJUSDEM VARIIS SPECIEBUS.

Quid enunciatio? XCIV. *Enunciatio*, vel *propoſitio* eſt oratio, qua judicium mente conceptum aliis ſignificamus; ut ſi dico: *anima humana eſt ſpiritus*.

Quæ ejus partes? Coroll. 1. Quælibet enunciatio duos requirit terminos, quorum unus ideam *ſubjecti*, alter *prædicati* exprimit, quique propterea eadem ſortiuntur nomina: accedit *copula*, quæ annutum convenientiæ viſæ præſtitum denotat.

Coroll. 2. Enunciatio omnis quatenus ad logicam pertinet, tribus ſolum partibus abſolvitur;

tur: nimirum *ſubjecto*, *prædicato*, & *copula*; quidquid præterea in eadem occurrit, vel ad *ſubjectum*, vel ad *prædicatum*, ut ejuſdem *affectio* refertur, & non niſi ideam eam complexam eſſe oſtendit (§. 75. & ſchol.): ut ſi dicas: *mens humana natura ſua immortalis eſt appetens bonorum æternorum, quæ ſola ejus deſiderium ſatiare poſſunt*, in hoc exemplo *mens* eſt ſubjectum: *humana natura ſua immortalis* eſt affectio ſubjecti; *appetens* vero eſt ejus prædicatum, cujus affectionem conſtituunt omnia ea, quæ ſequuntur.

Schol. Copulam ſolum verbum ſubſtantivum, & quidem in præſenti tantum tempore agere poteſt; debet enim ea aſſenſum, quem actu mens convenientiæ duarum idearum nunc ſibi præſenti præſtat, indicare, unde hæc propoſitio: *hoc marmor fuit rotundum*, hunc ſenſum facit, *hoc marmor eſt illud quod fuit rotundum*, in qua verbum *eſt* copulam agit, *illud* prædicatum, *quod fuit rotundum*, affectionem prædicati. Neceſſe tamen non eſt, ut copula ſemper explicite ponatur, ſed quandoque omiſſa ſubintelligitur, quandoque in appoſito verbo adjectivo latet; ut ſi dicam: mens *cogitat*, reſolvi debet, *mens eſt cogitans*. Idem quoque de ſubjecto, & prædicato notandum venit, ut cum dico: *cogito*, id eſt: *ego ſum cogitans*. Nunc diverſas propoſitionum ſpecies examinabimus.

XCV. Propoſitio *ſimplex* eſt, quæ unicum ſubjectum, & prædicatum habet; ut *anima humana eſt ſubſtantia ſpiritualis*. *Compoſita* vero quæ aut plura ſubjecta, aut plura prædicata continet; ut *anima humana eſt ſpiritualis & immortalis*. Quid enunciatio ſimplex & compoſita?

XCVI. Propoſitio ſimplex vel enunciat ſimul modum, quo prædicatum convenit, aut re- Quid pura, & mortalis?

repugnat ſubjecto, vel non; in primo caſu *modalis*; in altero *pura* audit.

Schol. Modi, quibus prædicatum ſubjecto convenire, aut non convenire poteſt, ſunt hi quatuor: *neceſſe*, *contingens*, *poſſibile*, *impoſſibile*. Erunt igitur propoſitiones modales hæ, aut ſimiles: *circulus neceſſario eſt rotundus*: *mundus contingenter exſiſtit*: *poſſibile eſt*, *ut alter mundus exſiſtat*: *impoſſibile eſt*, *ut circulus ſit quadratus*. Puræ vero propoſitiones erunt, *circulus eſt rotundus*: *mundus exſiſtit* &c.

Quotuplex enunciatio compoſita?

XCVII. Propoſitio compoſita, quatenus ad uſum noſtrum pertinet, eſt quadruplex, videlicet *conditionalis*, *cauſſalis*, *copulativa*, *disjunctiva*.

Quid conditionalis?

XCVIII. *Conditionalis*, vel etiam *hypothetica* propoſitio ea dicitur, quæ prædicatum de ſubjecto ſub quadam conditione per particulam *ſi* expreſſa affirmat, vel negat; ut cum dico: *ſi Cajus in litteras ſedulo incubuerit*, *eruditus evadet*; vel *ſi anima humana eſt ens ſimplex*, *ea eſt incorruptibilis*.

Quæ ejus partes?

Coroll. 1. In conditionali propoſitione duæ ſunt partes per particulam *ſi* conjunctæ, quarum prima *conditio*, vel *hypotheſis*, vel *antecedens*: altera *conditionatum*, vel *conſequens* appellatur.

Coroll. 2. Ipſa conditio continet in ſe rationem, cur in conditionato prædicatum ſubjecto conveniat, vel repugnet; ſic, cur *incorruptibilitas* animæ humanæ competat, ratio eſt, quia ea eſt *ens ſimplex*.

Schol. Propoſitio ſimplex, quatenus ſpectatur; ut oppoſita conditionali, id eſt, quatenus abſolute, & nulla adjecta conditione aliquid affirmat, vel negat, dicitur *abſoluta*, ſive *catego-*

tego-

tegorica, qualis foret hæc: *anima humana eſt incorruptibilis*. Igitur eadem propoſitio ſimplex ſub alio reſpectu *abſoluta*, ſub alio *pura* eſſe poteſt (conf. §. 96.)

XCIX. *Cauſſalis* propoſitio ea eſt, in qua ratio, cur prædicatum ſubjecto conveniat, vel repugnet, effertur per particulam cauſſalem, *quia*: ut *anima umana eſt incorruptibilis, quia non conſtat ex diſtinctis partibus; Cajus eſt eruditus, quia egregiam operam litteris impendit*. Quid cauſſalis?

C. *Copulativa*, vel *conjuncta* eſt propoſitio, in qua plura ſubjecta, vel prædicata per particulas copulantes, *&*, *atque*, *nec*, *neque* conjunguntur; ut: *intellectus*, *&* *voluntas ſunt attributa animæ humanæ*; vel, *nec intellectus*, *nec voluntas eſt attributum animæ belluinæ*. Quid copulativa?

CI. *Disjunctiva* denique, aut *disjuncta* illa dicitur propoſitio, in qua per particulas disjunctivas, *vel*, *aut*, *ſive*, plura ſubjecta, aut prædicata colligantur; ut *nota objectorum vel ſunt conſtantes vel mutabiles*, *anima humana vel eſt ſubſtantia ſpiritualis*, *vel materialis*. Quid disjunctiva?

Schol. Disjunctio eſt completa, cum omnia membra dividentia enumerantur, ita ut præter allata aliud non ſit poſſibile; ut *anima vel perit*, *cum corpore*, *vel poſt mortem corporis eſt ſuperſtes*. In caſu oppoſito eſt *incompleta*; ut illa Ciceronis: *vel animus perit cum corpore*, *vel poſt mortem corporis eſt beatus*; poteſt namque etiam perpetuo infelix eſſe. Quid disjunctio completa?

CAPUT X.

DE

DIVERSIS ENUNCIATIONUM PROPRIETATIBUS.

Quid enunciationis qualitas? CII. Proprietates enunciationum hic examinandæ ſunt *qualitas*, *quantitas*, & *oppoſitio*, de quibus ordine agemus. *Qualitas* propoſitionis eſt ejuſdem affirmatio, vel negatio; eſt autem omnis propoſitio, uti judicium (§. 92. cor. 3.), vel affirmativa, vel negativa, prout videlicet ea judicium affirmans, vel negans ſignificat; ut *anima eſt ſpiritus*, *anima non eſt corpus*.

Quid enunciatio negativa? CIII. In judicio negativo affirmatur repugnantia inter prædicatum & ſubjectum, ſive, quod idem eſt, negatur convenientia inter prædicatum, & ſubjectum, ut ex natura judicii (§.92.) patet: cum igitur copula denotet aſſenſum convenientiæ præſtitum (§.94. cor. 1. & ſchol.), non poteſt aſſenſus repugnantiæ idearum præſtitus aliter indicari, niſi negando copulam: hoc eſt, ad hoc ut propoſitio judicium negativum exprimat, ſeu ſit ipſa revera negativa, requiritur, ut particula negans, vel aperte, vel implicite referatur ad copulam; ut *anima non eſt corpus: nullus homo eſt ſine defectu*.

Quid infinita? Coroll. Propoſitio igitur, in qua particula negans non ad copulam, ſed vel ad prædicatum, vel ad ſubjectum pertinet, in negativis haberi non debet; ſed ſpeciem habens negativæ reipſa affirmativa eſt, & a philoſophis dici ſolet *infinita*. Ut ſi dicam: *judicium poteſt*

eſſe

eſſe non negativum; item *homo eſt non bellua*, vel *non bellua eſt homo*; faciunt enim hunc ſenſum, *homo eſt aliquid aliud, quam bellua; aliquid, quod non eſt bellua, eſt homo*.

CIV. In omni propoſitione affirmativa prædicatum non ſecundum totam ſuam extenſionem, ſed ſolum ſecundum aliquam ejus partem accipitur; adeoque in omni propoſitione affirmativa prædicatum denotat ideam particularem (§. 63. ſchol.). Et ratio eſt, quia ad hoc ut affirmatio ſit vera, non requiritur, ut omnia, & ſingula, quæ ad extenſionem prædicati pertinent, conveniant ſubjecto; ſed ſufficit omnino, ſi aliqua ſub extenſione prædicati contenta connectantur cum ſubjecto; ſic ſi dicam: *anima humana eſt ſpiritus*; vel *temperantia eſt virtus*, ſenſus eſt: *animam eſſe aliquem ſpiritum; temperantiam eſſe aliquam virtutem*. Quantum in enunciatione affirmativa prædicatum?

CV. Contra vero in omni propoſitione negativa prædicatum ſumitur ſecundum totam ſuam extenſionem, quam habet, ac proinde ideam univerſalem denotat (§. 63. coroll.). Nam ad hoc, ut prædicatum cum veritate negetur de ſubjecto, neceſſe eſt, ut nullus prorſus inter utrumque nexus ſit: id vero tum tantum contingit, quando nihil eorum, quæ ſub extenſione prædicati continentur, ſubjecto convenit; ſic cum dico: *otium non eſt virtus*, ſenſus eſt, *otium eſſe nihil eorum, quæ ſub prædicato virtus continentur*, adeoque nec eſſe *pietatem*, neque *fortitudinem*, neque *temperantiam*, neque *ullam aliam virtutem*. Quantum in negativa?

Coroll. Quantitas igitur cujuslibet prædicati a qualitate propoſitionis pendet, hancque ſine exceptione legem ſequitur: *in omni affirmatione prædicatum particulariter; in omni negatione univerſaliter accipitur*. Quæ lex de quantitate prædicati?

E 5 CVI.

Quid enunciationis quantitas? CVI. *Quantitas* propoſitionis eſt ejuſdem extenſio, pendetque conſtanter ab extenſione ſubjecti. Cum itaque hæc vel *univerſalis*, vel *particularis*, vel *ſingularis* eſſe poſſit (§§. 75. 63. cor. ſchol. 64. cor. 1.), omnis quoque propoſitio ratione ſuæ quantitatis in hanc triplicem claſſem diſtribuitur. *Univerſalis* ea eſt, in qua ſubjectum, quod de ſe ideam univerſalem denotat, ſecundum totam ſuam extenſionem ſumitur, ita ut prædicatum ſingulis individuis ſub illo ſubjecto contentis, etiam ſeorſum acceptis, conveniat: id quod denotant particulæ, *omnis*, *nullus*, *nemo* ſubjecto præfixæ, quæ propterea *notæ univerſalitatis* audiunt; ut *omnis virtus eſt appetenda*, vel *nullum vitium eſt honeſtum*.

Quid enunciatio univerſalis?

Et quotuplex? Schol. 1. Ejuſmodi propoſitiones dicuntur *complete univerſales*, ut diſtinguantur ab iis, in quibus prædicatum non ſingulis individuis; ſed tantum ſingulis ſpeciebus ſub ſubjecto contentis convenit, quæque propterea *incomplete univerſales* ſunt; ut ſi dicas: *omne animal fuit in arca Noe*; vel *omnia munia ab infimo ad ſummum in republica a Cajo adminiſtrata ſunt*.

Schol. 2. Sed eſt & alia propoſitionum univerſalitas, nimirum *moralis*, ſive *in ſenſu accommodo*, quando enuncians propoſitionem ceteroquin vere univerſalem non ita ſtricte intelligi vult, ut prædicatum ſingulis prorſus individuis ſubjecti attribuatur, quin unum, vel alterum inde excipi poſſit, & harum reſpectu ſuperiores (§. 106.) dici poſſunt *metaphyſice* univerſales, cum earum univerſalitas ſecundum omnem rigorem metaphyſicum accipiatur. Sic, cum dicimus: *omnes homines ſua ſolum commoda quærunt*, non volumus ſignificare nullum prorſus hominum ab hoc vitio immunem eſſe, ſed tantum de plurimis id cum veritate dici

dici poſſe. Utimur ſimilibus propoſitionibus perfrequenter in vulgari cum hominibus conſuetudine, & mos jam ita obtinuit, ut fere, quod plurimis convenit, univerſim omnibus tribuamus; nemo tamen eſt, qui propterea mentem noſtram minus aſſequatur, ſi modo, quid uſui tribuendum ſit, non ignoret. Quia propoſitiones ejuſmodi ſæpius in libris hiſtoricis, aut etiam dogmaticis occurrunt: unde neceſſe eſt, ut vel ex adjunctis, vel ex collatione aliorum locorum, vel denique adhibitis aliis adjumentis ſuo loco ſuppeditandis determinetur, utrum auctoris propoſitio, quæ univerſaliter enunciatur, *metaphyſice*, an *moraliter* accipienda ſit.

CVII. *Particularis* propoſitio ea eſt, in qua ſubjectum, quod de ſe ideam univerſalem exprimit, ſecundum partem tantum ſuæ extenſionis ſumitur, ita ut prædicatum non omnibus, ſed aliquibus ſolum individuis ſeorſum acceptis conveniat: id quod denotant particulæ adjectæ; *aliquis*, *quidam*, *nonnullus*, quæ ea de cauſſa *notæ particularitatis* appellantur, ut *quidam homines ſunt eruditi*; vel *quidam philoſophi doctrina ſua ad ſtabiliendos errores abutuntur*. Quid particularis?

CVIII. In propoſitione particulari vel illa individua ſubjecti, quibus prædicatum convenire aſſeritur, in ſe jam determinata ſunt; vel non, ſed aliqua tantum ex omnibus poſſibilibus disjunctive accepta intelligi debent. In priori caſu propoſitio eſt *determinata*, ſive ut ajunt, *ſupponit determinate*; ut eſt hæc: *aliqui philoſophi negant immortalitatem animæ humanæ*; *aliquis huic ædificio ignem ſuppoſuit*. In poſteriori vero eſt propoſitio *indeterminata*, ſeu, *vaga*, vel *ſupponit indeterminate*. Ut *aliquis calamus requiritur ad* Quid particularis determinata, & indeterminata?

ſcribendum ; aliqua navis eſt neceſſaria ad navigandum.

Quod ejus indicium? SCHOL. Quotieſcumque prædicatum *actionem*, aut *paſſionem* quampiam denotat, propoſitio eſt determinata; cum enim actio & paſſio proficiſci nequeat niſi a re actu exiſtente; omnis autem res exſiſtens ſingularis ſit, ac individua (§. 59. ſchol.), neceſſe eſt, ut objectum illud, de quo propoſitio enunciatur, in ſe certum ſit, ac omnimode determinatum. Quodſi vero prædicatum *neceſſitatem* aliquam, *exigentiam*, *debitum*, aut *cupiditatem* exprimat, non requiritur, ut objectum illud ſit exiſtens, ac in ſe jam determinatum, ſed unum aliquod vage, ac indeterminate ſumtum ex omnibus omnino poſſibilibus duntaxat denotabitur, ut patet ex exemplis ſupra allatis. Id inſuper advertendum, aliud eſſe: objectum *in ſe* non eſſe determinatum, & aliud objectum *quoad nos* non eſſe determinatum; hoc enim poſterius toties contingit, quoties nos illud objectum defectu notitiæ determinare, ſeu potius deſignare nequimus; ſic etſi in ſe jam determinatus ſit ille, qui ædificio ignem ſuppoſuit, fieri tamen poteſt, ut mihi nondum conſtet, atque adeo ut a me nondum deſignari queat, non tamen propterea propoſito illa erit minus determinata.

Quid enunciatio ſingularis? CIX. *Singularis* propoſitio ea eſt, quæ in ſubjecti loco habet terminum ſingularem (§. 75.) ut *Plato fuit diſcipulus Socratis*; vel *hoc ædificium eſt ſecundum omnes architectonicæ leges exſtructum*.

SCHOL. Dantur quædam propoſitiones, quæ ſpeciem quampiam univerſalium præ ſe ferunt, reipſa tamen in ſingularibus habendæ ſunt. Nimirum vocula *omnis* vel ſumitur *diſtributive*,

ve, ſi nempe omnia ſingulatim accipienda eſſe denotet, tumque eſt nota univerſalitatis (§. 106.): vel vero *collective*, ut totam omnium ſummam, ſive collectionem per modum unius individui accipi debere ſignificet: tum vero ea efficit propoſitionem ſingularem, ut cum dico: *omnes partes totum efficiunt*; vel *omnes litteræ faciunt alphabetum*; *omnes apoſtoli ſunt duodecim*: in his vox *omnis* tantum adhibetur ad hoc, ut intelligatur, totam *partium*, *litterarum*, & *apoſtolorum* collectionem ſimul eſſe accipiendam, ut illis prædicatum cum veritate attribui poſſit.

CX. Notæ illæ, *omnis*, *nullus*, &c. *aliquis* &c. *hic* definiunt propoſitionis quantitatem (§§. 106. 107. 109.); unde propoſitio, cujus ſubjecto harum notarum aliqua præfixa eſt, dicitur *definita*; ut *omnis virtus eſt appetenda*, *aliquis homo eſt eruditus*. Cujus vero ſubjectum tali nota affectum non eſt, *indefinita* audit; ut *virtus eſt appetenda*, *homines ſunt eruditi*. Quid definita, & indefinita?

Schol. Reducuntur hæ tamen ad definitas, & quidem ad univerſales, ſi prædicatum ſit nota conſtans (§. 52.) ſubjecti; ejuſmodi enim nota ſingulis individuis ſub ſubjecto contentis convenit. Ita hæc *virtus eſt appetenda*, æquiparatur univerſali: *omnis virtus eſt appetenda*. Ad particulares vero referuntur, ſi prædicatum ſit nota mutabilis ſubjecti; nota enim mutabilis numquam in ſingulis individuis deprehenditur; ſic hæc: *homines ſunt eruditi*, æquiparatur particulari: *aliqui homines ſunt eruditi*. Quæ lex de dijudicanda quantitate indefinitæ?

CXI. *Oppoſitio* propoſitionum eſt pugna, ſive diverſitas duarum propoſitionum, quarum idem eſt ſubjectum, & prædicatum, inter ſe comparatarum quoad quantitatem, vel quali- Quid & quotuplex oppoſitio?

tatem, vel utramque ſimul; hinc tres oriuntur oppoſitionis ſpecies.

Quid enunciationes ſubalternæ? CXII. Propoſitiones, quarum ſola quantitas diverſa eſt, dicuntur *ſubalternæ*, & in ſpecie earum univerſalis *ſubalternans*; particularis vero *ſubalternata* audit; ut: *omnis definitio conſtat genere, & differentia: quædam definitio conſtat genere, & differentia*; vel *nullum vitium eſt honeſtum: aliquod vitium non eſt honeſtum.*

Quid contrariæ, & ſubcontrariæ? CXIII. Propoſitiones, quarum ſola qualitas diverſa eſt, ſunt vel ambæ univerſales, & *contrariæ*; ut: *omne vitium eſt fugiendum, nullum vitium eſt fugiendum*: vel ambæ particulares, & *ſubcontrariæ* appellantur; ut: *aliquod vitium eſt fugiendum, aliquod vitium non eſt fugiendum.*

Quid contradictoriæ? CXIV. Propoſitiones denique, quarum & quantitas, & qualitas diverſa eſt, *contradictoriæ* nuncupantur; ut: *nullum vitium eſt honeſtum, aliquod vitium eſt honeſtum*; vel *omnis virtus eſt appetenda, aliqua virtus non eſt appetenda.*

Quid contradictio? Coroll. 1. Cum id, quod univerſaliter de quodam ſubjecto affirmatur, vel negatur, affirmetur hoc ipſo, vel negetur de quovis individuo in extenſione ſubjecti contento, ut ex natura propoſitionis univerſalis patet (§. 106.), ſequitur, per duas propoſitiones contradictorias idem ſimul affirmari, & negari, & quidem ita, ut ſi utraque vera foret, idem ſimul eſſet, & non eſſet. Hinc contradictio dicitur eſſe *ſimultanea affirmatio, & negatio ejuſdem de eodem ſub eodem reſpectu.*

Coroll. 2. Duæ propoſitiones ſingulares qualitate pugnantes affirmant idem ſimul eſſe, & non eſſe; igitur merito ad contradictorias referuntur; ut *Cicero eſt princeps eloquentiæ Romanæ, Cicero non eſt princeps eloquentiæ Romanæ.*

CA-

CAPUT XI.

DE
ENUNCIATIONIBUS IN METHODO SCIENTIFICA USITATIS.

Quid enunciatio theoretica, & practica?

CXV. Propoſitio, quæ duntaxat nexum ſubjectum inter, ac prædicatum indicat; *theoretica*: ut *anima humana eſt immortalis*. Quæ vero aliquid poſſe, vel debere fieri affirmat, aut poſtulat: *practica* cognominatur; ut, *ad beatam immortalitatem conſequendam opus eſt magno virtutum apparatu*. Utraque vel ita per ſe, & intellectis ſolum terminis manifeſta eſt, ut nulla prorſus demonſtratione egeat, vel non: in primo caſu *indemonſtrabilis*: in altero *demonſtrabilis* dicitur.

Quid demonſtrabilis, & indemonſtrabilis?

CXVI. Propoſitio theoretica indemonſtrabilis axioma: ut, *quod cogitat, exſiſtit*; vel *impoſſibile eſt idem ſimul eſſe, & non eſſe*. Practica vero indemonſtrabilis *poſtulatum* appellatur; ut, *excole mentem*; *cum neceſſitate noli pugnare*. *Vel ex puncto dato ad aliud datum ducere lineam rectam*.

Quid axioma, & poſtulatum?

Schol. Philoſophi omnes propoſitiones, quæ unica nituntur definitione, in axiomatum loco habent; ut ſi dicam: *qui pollet logica, pollet ſcientia dirigente facultatem cognoſcitivam*. Item illas, quæ oriuntur, ſi definitum cum ſua definitione per copulam conjungatur, ut: *logica eſt ſcientia dirigens facultatem cognoſcitivam*. Porro axiomatum uſus in omni ſcientia eſt ampliſſimus; id ſolum magna cura cavendum, ne propoſitiones dubiæ, aut incer-

certæ pro axiomatis jactentur, quod merito multis veterum vitio damus. Sed de hoc alias.

Quid theorema, ejuſque partes? CXVII. Propoſitio theoretica demonſtrabilis *theorema* audit, conſtatque propoſitione, & demonſtratione; ut ſi ſit propoſitio: *anima humana eſt immortalis*; ſi jam adjungatur ejus demonſtratio, theorema erit completum. Vel: propoſitio: *qualibet enunciatio conſtat duobus terminis, & copula*. Demonſtratio: *qualibet enunciatio indicat judicium mente conceptum, in quo duæ ideæ de ſe affirmantur, vel negantur; ſed hoc fit, ſi duo termini per copulam conjungantur: ergo qualibet enunciatio conſtat duobus terminis & copula*. q. e. d. En theorema integrum.

Quid problema, ejuſque partes? CXVIII. Propoſitio practica demonſtrabilis *problema* dicitur, componiturque ex tribus partibus: prima aliquid faciendum poſtulat; altera modum ſuppeditat, quo id fieri debeat; tertia hoc modo rem petitam obtineri demonſtrat; in exemplo, ſit problema: *condere bonam definitionem cujuſpiam rei*. Hæc eſt pars prima, quæ dicitur propoſitio. *Enumera tot, non plures, rei notas, quot requiruntur, & ſufficiunt ad eam rem ab omnibus aliis diſcernendam*. Hæc eſt pars ſecunda, & vocatur reſolutio. *Tum conditur bona definitio, cum idea diſtincta, & completa enunciatur; ſed hoc fit, cum tot, non plures rei notæ enumerantur, quot requiruntur, & ſufficiunt ad eam rem ab omnibus aliis diſcernendam: ergo bona conditur definitio, ſi tot, non plures, rei notæ enumerantur, quot ſufficiunt, & requiruntur ad eam rem ab omnibus aliis diſcernendam. q. e. f.* Hæc eſt tertia pars, ipſa videlicet demonſtratio. En problema abſolutum.

Quid Lemma? CXIX. *Lemma*, vel *poriſma* vocatur propoſitio quæpiam, quæ ex alia ſcientia, vel ſcien-

ſcientiæ parte quaſi mutuo accipitur, ut illius ope propoſitio nunc occurrens demonſtretur; ſic, ut in jure naturæ demonſtretur *hominem eſſe eo fine conditum, ut perfectiones Dei manifeſtet*, aſſumitur propoſitio ex metaphyſica: *finem toti mundo præfixum eſſe gloriam Dei externam*.

Schol. Hæ vero propoſitiones lemmaticæ quandoque ſupponuntur ſuo loco demonſtratæ, vel demonſtrandæ, quandoque tamen etiam, ſi id breviter, & commode fieri poſſit, ubi aſſumuntur, demonſtrantur; ſic phyſici, & aſtronomi plurimis propoſitionibus, quas geometria demonſtrat, utuntur ad ſuas demonſtrationes conficiendas. Quomodo eo utendum?

CXX. *Corollarium*, vel *conſectarium* eſt propoſitio, quæ vel ex definitione quapiam, vel alia propoſitione jam demonſtrata ita profluit, ut alia demonſtratione amplius non indigeat; ſic ex hac demonſtrata: *pietas eſt ad omnia utilis*, ſequitur *pietatem etiam ad profectum in litteris faciendum multum conferre*. Quid corollarium.

Schol. *Scholia* denique cuilibet propoſitioni, prout res poſtulat ſubjungi poſſunt, in quibus obſcura, aut dubia elucidantur; uſus doctrinæ præſentis indicatur; aliorum ſeu veterum, ſeu recentiorum ea de re opiniones enarrantur; argumenta in oppoſitum reſolvuntur; aut denique quidquid ad præſentem rem commodum, utile, aut non injucundum viſum fuerit, adnotatur. Hæc de ſecundo exercendi facultatem noſtram cognoſcitivam modo dicta ſufficiunt; ad tertium (§. 48.) proinde tranſgrediamur. Quid ſcholion?

CA-

CAPUT XII.

DE RATIOCINATIONE.

Quomodo habitudo idearum inter ſe inveſtiganda? CXXI. Cum idearum inter ſe comparatarum habitudo menti non relucet, judicium rite formari nequit (§. 93. & ſchol.); ea proinde convenienter inveſtigari debet: id quod hoc modo præſtatur. Aſſumimus ideam quampiam tertiam, quacum ſucceſſive duas priores conferimus, ac viſa earum convenientia, vel diſcordia colligimus eas quoque inter ſe vel convenire vel non convenire: hoc dum facimus, *ratiocinari* dicimur.

Quid ratiocinatio? CXXII. *Ratiocinatio* igitur, ſive *ratiocinium* eſt aſſenſus, quem mens convenientiæ, vel repugnantiæ duarum idearum præſtat propter cognitam earumdem cum tertia idea aſſumta convenientiam, vel repugnantiam. Sic, ut ſciam, num idea *incorruptibilitatis* conveniat ideæ *animæ humanæ*, aſſumo ideam tertiam *entis ſimplicis*, & cum hac ſucceſſive duas priores comparo; deprehendo igitur primum, maximam eſſe convenientiam inter ideam *entis ſimplicis*, & ideam *incorruptibilitatis*; dein etiam eamdem convenientiam eſſe inter ideas *entis ſimplicis*, & *animæ humanæ*: viſa igitur utriuſque hujus ideæ cum tertia aſſumta convenientia, affirmo eamdem quoque inter ipſas dari, & judico: *igitur etiam anima humana eſt incorruptibilis*. Hoc judicium erit ratiocinium.

Quid judicium intuitivum & diſcurſivum? Coroll. Igitur ratiocinium a ſimplici judicio (§. 92.) non differt, niſi in eo, quod judicium

cium ſit aſſenſus præſtitus convenientiæ duarum idearum ex ſola earum collatione, & quaſi ipſa intuitione cognitæ, quare etiam judicium *intuitivum* dici ſolet; contra vero ratiocinium ſit ille aſſenſus, qui præſtatur convenientiæ duarum idearum ex earum cum tertia quapiam comparatione cognitæ, unde judicium *diſcurſivum* appellatur; *ratiocinari* enim, & *diſcurrere* philoſophis idem ſonat.

Schol. Tertiam illam ideam, quam aſſumimus, *mediam* poſthac ex uſu recepto vocabimus, ſive quia medio inter utramque loco collocari debet, ſi naturalem cogitandi modum ſequi velimus; ſive quia illa mediante in notitiam convenientiæ, vel repugnantiæ aliarum duarum pervenimus. Quid idea media?

CXXIII. Cum duas ideas inter ſe vel convenire, vel diſconvenire colligimus ex comparatione earum cum tertia, ratiocinamur (§. 121.): igitur quodlibet ratiocinium duntaxat tres ideas admittit. Et quia porro hæc comparatio unius ideæ cum altera ſine judicio non fit, tria ſemper concurrunt judicia: duo, quibus ideæ illæ ſeorſum cum media conferuntur, ſimul ſumta efficiunt *antecedens* ratiocinii; tertium, quo ideæ illæ inter ſe conferuntur, *conſequens* dicitur; ac in eo, proprie loquendo, actus ratiocinii conſiſtit (conf. cor. §. præc.). Quæ ratiocinationis partes?

CXXIV. Cum in ratiocinio convenientiam, vel diſcordiam duarum idearum colligamus ex eo, quod eæ cum quapiam tertia conveniant, vel non (§. 121.), neceſſe eſt, ut detur connexio inter conſequens, & antecedens, illudque ex hoc profluat. Connexio hæc vulgo *conſequentia* audit, eſtque requiſitum adeo neceſſarium, ut abſque eo ratiocinatio omnis illegitima, ac nulla ſit. Quid conſequentia?

Schol. Ratiocinatio, quatenus hæc tria judicia (§. 123.),

(§. 123.), & conſequentiam (§. 124.) in ſe complectitur, ſpectari ſolet a philoſophis, ut quoddam compoſitum, cujus unam partem, quam *materiam* vocare placuit, tria judicia abſolvunt; alteram vero partem, quæ *forma* cognominatur, conſequentia conſtituit.

Quid conſequens formale & materiale?

CXXV. Si conſequens verum ſit propter antecedens, id eſt: ſi ratio, cur conſequens verum ſit, contineatur in antecedente, nullus poteſt eſſe dubio locus, quin detur nexus inter conſequens, & antecedens. Patet igitur, in quo *conſequentia* conſiſtat, atque inde univerſim legis inſtar obtinet: toties habetur in ratiocinio conſequentia, adeoque forma, quoties conſequens verum eſt propter antecedens, & tale conſequens ajunt eſſe *verum formaliter*, ſive ratione, aut vi *formæ*, quod unicum eſt legitimum; cum ſic *v. gr.* ratiocinor: *omne ens ſimplex eſt incorruptibile*, & *anima humana eſt ens ſimplex: ergo anima humana eſt incorruptibilis:* datur conſequentia, ac conſequens eſt legitimum, id eſt, formaliter verum; nam anima humana eſt *ideo* incorruptibilis, *quia* omne ens ſimplex, quale quoque anima eſt, eſt incorruptibile. Hinc quoque ab oppoſito, ſi conſequens quidem verum ſit, ſed non propter antecedens, ratiocinatio carebit ſua forma, ac proinde vitioſa erit. Dicitur hoc in caſu conſequens eſſe *verum materialiter*, ſive ratione *materiæ*, quatenus nempe id præciſe in ſe ſpectatur; ut eſt aliquod judicium, & aliis de cauſſis contingit, ut id ita ſe habeat, quod in eo enunciatur: ſic hoc ratiocinium nullum eſt: *anima humana eſt materia*, & *omnis materia eſt ſubſtantia, ergo anima humana eſt ſubſtantia:* nam licet verum ſit animam humanam eſſe ſubſtantiam, id tamen non *propter* antecedens, *quia* nempe omnis

ma-

materia eſt ſubſtantia, & anima humana eſt materia, ſed aliis de cauſſis ita eſſe contingit; eſt proinde in hoc caſu conſequens tantum materialiter verum, non vero formaliter.

Coroll. 1. Conſequens igitur *formaliter* verum, & *materialiter* falſum, eſt illud, quod licet in ſe ſpectatum falſum ſit, tamen cum antecedente connectitur, ut: *omne vitium eſt fugiendum, & temperantia eſt vitium: ergo temperantia eſt fugienda*. Et contra conſequens tam *formaliter*, quam *materialiter* falſum eſt, cum illud neque connectitur cum antecedente, neque ut in ſe præciſe ſpectatum verum eſt; ut: *aliquis homo eſt eruditus; ſed Cajus eſt homo: ergo Cajus eſt eruditus*, ſi eruditione careat. Quid conſequens formaliter verum & materialiter falſum? Quid & formaliter, & materialiter falſum?

Coroll. 2. Univerſim facillime agnoſcitur, num conſequens ſit *formaliter* ſimul, ac *materialiter* verum, adeoque legitimum, ſi illud reſolvatur in propoſitionem cauſſalem (§. 99.) quod fit, ſi ipſum antecedens per particulam *quia* conjungatur cum conſequente: quod ſi tum tota propoſitio cauſſalis vera fuerit, etiam verum erit conſequens tam *formaliter*, quam *materialiter*; ſic in ſuperiori ratiocinio tota hæc cauſſalis vera eſt: *anima humana eſt incorruptibilis, quia omne ens ſimplex eſt incorruptibile, & anima humana eſt ens ſimplex*: & ideo hoc in caſu etiam conſequens ratiocinii: *anima humana eſt incorruptibilis*: *formaliter*, & *materialiter* verum eſt; contrarium contingit in altero ratiocinio, in quo, quia falſa ratio aſſignatur, concluſio eſt *formaliter* falſa, etſi *materialiter* ſpectata vera ſit. Quod ratio in antecedente incluſa in ſe falſa quidem ſit, attamen, ſi ex hypotheſi interea pro vera aſſumeretur, legitima foret ratio conſequentis, tum ipſum conſequens erit Unde agnoſcitur?

formaliter verum, ſed *veritate materiali* deſtituetur; ut: *omne corpus eſt ens compoſitum, ſed ſpiritus eſt corpus: ergo ſpiritus eſt ens compoſitum*; ubi reſolutio fieri debet: *ſpiritus eſt ens compoſitum, quia ſpiritus eſt corpus, & omne corpus eſt ens compoſitum* (§. cit.)

Coroll. 3. Veritas materialis conſequentis legitimi nexu perpetuo, ac indiſſolubili conſociatur cum veritate materiali antecedentis, ita ut una abſque altera nullo ſimpliciter in caſu dari poſſit. Iſtud & inde patet: cum ratio, cur conſequens legitimum verum ſit, contineatur in antecedente (§. 125.), ipſum quodam modo conſequens in antecedente includitur, atque adeo illud ipſum, quod in conſequente explicite, ac aperte dicitur, jam prius in antecedente implicite & occulte dictum eſt, ſi ratiocinium vitio careat; ſic dum dico: *omne ens ſimplex eſſe incorruptibile, & animam eſſe ens ſimplex*, jam implicite dico, *animam eſſe incorruptibilem*, quod deinde in conſequente aperte enuncio. Jam vero, ſi aliquid verum, vel falſum ſit, dum implicite dicitur, etiam verum, vel falſum eſſe debet, cum explicite enunciatur. Inde autem profluunt ſequentes canones, quorum tam in inquirenda, quam communicanda veritate uſus eſt frequentiſſimus.

Quæ ratiocinationis leges?

1.) Ex vero antecedente non poteſt legitime ſequi falſum conſequens.

2.) Si conſequens legitimum falſum ſit, antecedens quoque falſum ſit, oportet.

3.) Ex falſo antecedente non poteſt legitime ſequi verum conſequens.

4.) Si conſequens legitimum verum ſit, antecedens quoque verum ſit, oportet.

5.) Quidquid ſtare poteſt, aut non poteſt cum veritate antecedentis, ſtare etiam poteſt, aut non poteſt cum veritate legitimi conſequentis, & viciſſim.

CXXVI.

CXXVI. Quando duas ideas cum tertia conferimus, tres nobis caſus, nec plures, nec pauciores, contingere poſſunt: vel enim 1.) utraque idea cum media convenit; vel 2.) alterutra tantum; vel 3.) neutra. In primo caſu concludendum eſt eas quoque inter ſe convenire; in altero, eas inter ſe non convenire; in tertio vero nihil concludi poterit. Hæc porro nituntur propoſitionibus quibuſdam adeo per ſe claris, ut in axiomatum loco (§. 116.) tuto haberi poſſint, ſuntque ſequentes. Quot in ratiocinando caſus?

1.) Si duo conveniant cum uno tertio, ea quoque inter ſe conveniunt. Quæ axiomata?

2.) Si ex duobus unum conveniat cum tertio, alterum non, ea inter ſe non conveniunt.

3.) Si ex duobus neutrum conveniat cum tertio, ea poſſunt inter ſe vel convenire, vel non convenire.

Coroll. 1. Quando concludimus, proprie ratiocinamur (§. 123.): igitur in duobus tantum primis caſibus ratiocinatio eſt poſſibilis, in tertio numquam, ſed tum oportet aliam ideam mediam exquirere.

Coroll. 2. In primo caſu ideæ comparatæ cum media inter ſe conveniunt, eaque convenientia in concluſione eſt affirmanda; in ſecundo eæ inter ſe non conveniunt, adeoque in concluſione convenientia eſt neganda: igitur in caſu primo concluſio eſt *affirmativa*, in altero *negativa*.

Coroll. 3. Qualitas ratiocinii deſumi debet a qualitate (§. 102.) concluſionis, cum in ea præcipue actus ratiocinii conſiſtat (§. 123.): igitur ipſum etiam ratiocinium in primo caſu eſt *affirmativum*, in altero *negativum*: ac conſequenter omne ratiocinium vel *affirmativum*, vel *negativum* eſt.

COROLL. 4. In duobus tantum caſibus ratiocinatio fieri poteſt: igitur omnis ratiocinatio alterutro ex duobus primis axiomatis niti neceſſario debet; quare duo hæc & requiruntur, & ſufficiunt etiam, ea proinde, quæ ab aliis congeruntur, tuto hic negligimus.

SCHOL. Utor vocabulo *conveniunt* in ſenſu latiſſimo, ut intelligatur qualiſcumque convenientiæ ſpecies; ſenſus proinde eſt: quocumque modo duo conveniant cum tertio, ſeu ſint *eadem* ſeu *ſimilia*, ſeu quacumque ratione vel ad *partem*, vel ad *totum* quampiam relationem habeant, eodem prorſus modo ea inter ſe quoque convenire. Hæc porro axiomata ſimili a ponderibus petito tironi fero ad oculum illuſtrari poſſunt. Sint duæ maſſæ, argenti una, auri altera: cupis ſcire, num argentea in pondere conveniat cum aurea? accipe tertiam quamdam maſſam cupri noti jam ponderis v. g. duarum librarum. Si jam ſucceſſive aurum cum cupro, argentum cum cupro ponderes, deprehendaſque argentum, & aurum cum cupro convenire, nonne indubitanter concludes argentum quoque cum auro convenire, hoc eſt: aurum, & argentum inter ſe convenire quoad pondus, propterea quod quoad idem pondus conveniunt cum tertia maſſa cupri aſſumta? En caſum primum, qui in proximo axiomate innititur. Pone porro argentum convenire cum cupro, non item aurum, nonne illico inferes, aurum cum argento non convenire, propterea quod unum tantum, non item alterum quoad pondus cum cupro convenit? En caſum alterum, qui in ſecundo axiomate innititur. Finge denique, facto examine neque aurum, neque argentum convenire cum cupro, quid jam inferes? aurum quoad pondus convenire cum argento? At hoc non conſtat, & contrarium eſt poſſibile; ſi enim aurum ſit unius, argentum trium libra-

librarum, profecto non convenient cum cupro, quod ponitur eſſe duarum librarum; ſed neo tamen inter ſe convenient. Inferes ne, igitur aurum quoad pondus non convenire cum argento? at neque hoc conſtat, & contrarium rurſus eſt poſſibile; ſit enim aurum trium, & argentum pariter trium librarum, neutrum cum cupro duarum librarum conveniet, convenient tamen inter ſe. Cum igitur utrumque ſit poſſibile, ac quod eorum ſit, ex ſola comparatione inſtituta non eluceſcat, illatione abſtinendum erit. En caſum tertium, qui in tertio axiomate innititur.

CAPUT XIII.

DE ARGUMENTATIONE, ET NOMINATIM DE SYLLOGISMO SIMPLICI.

CXXVII. *Argumentatio* eſt omnis ea oratio, qua ratiocinium mente conceptum aliis ſignificamus. — Quid argumentatio?

Coroll. Argumentationi igitur omnia ea applicari debent, quæ de ratiocinio dicta ſunt, ut quod ſit vel *affirmativa*, vel *negativa*; quod conſtet *antecedente*, *conſequente*, & *conſequentia* velut forma; quod conſequens contineatur in antecedente &c. &c.

Schol. Argumentatio eſt genus quoddam, diverſaſque ſub ſe ſpecies continet, *ſyllogiſmum* videlicet, *enthymema*, *epicherema*, *dilemma*, *ſoriten*, & *inductionem*. Princeps in his locus dari ſolet ſyllogiſmo: igitur de hoc primum, tum de reliquis agemus. — Quæ ejus ſpecies? — Quid & quotuplex ſyllogiſmus?

CXXVIII. *Syllogiſmus* eſt argumentatio quæ

quæ tria judicia totidem propoſitionibus e-nunciat; ut : *omne ens ſimplex eſt incorruptibile; ſed anima humana eſt ens ſimplex : ergo anima humana eſt incorruptibilis* . Dicitur *ſimplex* , cum ejus propoſitiones ſunt ſimplices; *compoſitus* vero: quando una ejus propoſitio eſt compoſita: nunc de ſimplici tantum.

Quæ partes ſyllogiſmi ſimplicis?

CXXIX. *Partes* ſyllogiſmi ſimplicis ſunt termini, & propoſitiones præter conſequentiam, ſeu formam, de qua (§§. 124. & 125.) jam ſatis actum eſt. Termini ideas in ratiocinio occurrentes (§. 121.) exprimunt, propterea que non niſi tres eſſe poſſunt; duo, qui ideas duas comparandas cum media denotant, & hi *extremi*: unus, qui mediam illam ideam, quacum reliquæ comparantur, ſignificat; & hic *medius* vocatur. Extremorum unus eſt *major*, ille videlicet, qui in ultima propoſitione prædicatum agit : alter *minor*, qui ejuſdem propoſitionis ſubjectum eſt.

Quid propoſitio major, minor, & concluſio?

CXXX. Propoſitiones, quæ alteram ſyllogiſmi partem conſtituunt, pariter nonniſi tres eſſe poſſunt (§. 128.), variamque ſortiuntur denominationem. Ea, in qua terminus major conſociatur cum termino medio, *major*, vel *propoſitio* ſine addito : ea, in qua terminus minor cum termino medio conjungitur, *minor*, vel *aſſumtio*: utraque ſimul *præmiſſæ*: ea demum, in qua duo termini extremi inter ſe copulantur, *conſequens*, *concluſio*, vel *complexio* dici ſolet.

Schol. Nimirum cum ex tribus tantum terminis (§. 129.) tres propoſitiones exſurgere debeant, facile patet, quemlibet terminum bis eſſe ponendum, ut ſic tria ſubjecta, & tria prædicata ad totidem propoſitiones conſtruendas neceſſaria obtineantur; id autem conſequimur, cum quemlibet terminum extremum ſeorſum

ſum cum medio, & deinde duos illos extremos inter ſe conjungimus; ut ſi ſint tres termini: *anima humana*, *incorruptibilis*, *ens ſimplex*, quorum duo illi ſint extremi, hic medius: conjungantur igitur primum unus extremus cum medio dicendo: *omne ens ſimplex eſt incorruptibile*; tum alter cum eodem medio: *anima humana eſt ens ſimplex*: denique illi duo extremi inter ſe: *anima humana eſt incorruptibilis*. Hinc petitur regula univerſalis, cujus ope tiro promtiſſime in ſyllogiſmo quocumque dato terminos dignoſcat: attendenda nimirum eſt primo loco propoſitio tertia, ſive concluſio; duo termini in ea occurrentes ſunt extremi, ita quidem, ut qui prædicatum agit, *major*; qui vero ſubjectum, *minor* dicatur; tertius deinde, qui in utraque præmiſſa deprehenditur, erit terminus *medius*. Denique hoc quoque tironem ignorare non oportet: etſi propoſitio major in ſenſu ſtricto ea ſit, quæ in ſe continet terminum majorem, ſive concluſionis prædicatum, jam fere tamen uſus obtinuit, ut ſemper ſine attentione ad terminum majorem primam in ſyllogiſmo propoſitionem *majorem* vocitemus, etſi ea quandoque reipſa *minor* ſit; idque ideo, quia potiſſimum alias ob majorem cum naturali noſtro cogitandi modo convenientiam *major* primo loco profertur.

CXXXI. Syllogiſmus, cujus concluſio eſt affirmativa pariter *affirmativus eſt*; ut: *omne ens ſimplex eſt incorruptibile*; *ſed anima humana eſt ens ſimplex*; *ergo anima humana eſt incorruptibilis*. Cujus vero concluſio eſt negativa, *negativus* eſt; ut: *nullum corpus cogitat*; *ſed anima humana cogitat*: *ergo anima humana non eſt corpus*. Proinde omnis ſyllogiſmus vel *affirmativus*, vel *negativus* (conf. §. 126. cor. 3.) eſt. Quid ſyllogiſmus affirmativus & negativus?

SCHOL. Etſi cujuslibet ſyllogiſmi bonitas, ſive formalis veritas concluſionis ex univerſali illa lege (§. 125. cor. 2.) allata ſemper; & pro omni caſu facillime detegatur, adeoque ea ſola omnino & conſtruendo, & dijudicando ſyllogiſmo cuilibet ſimplici ſufficiat, ne quid tamen tironum commodo deſit, præcipuas dialecticorum leges jam adducam. Harum aliæ ad terminos; aliæ ad propoſitiones pertinent. Illæ ſunt numero quatuor. Prima terminorum numerum definit; ſecunda cum tertia terminum medium: quarta extremos dirigit. Harum binæ qualitatem; binæ quantitatem propoſitionum conſtituunt.

Leges Syllogiſmi Simplicis.

1.) *Tres tantum ſint termini.* Patet id ex (§. 129.), & ipſa natura ratiocinii (§. 121.), cujus explicatio eſt ſyllogiſmus; ſicut enim in ratiocinio tres tantum ideæ, ita hoc ipſo in ſyllogiſmo tres tantum poſſunt eſſe termini, cum quælibet idea uno termino denotetur. Contra hanc legem peccatur 1. ſi clare quatuor termini diverſi adhibeantur, non tamen ſi ſint ſynonimi: ut ſi diceres: *omne ens ſimplex eſt incorruptibile; ſed anima humana eſt cogitans: ergo anima humana eſt incorruptibilis.* 2. Si terminus quiſpiam ſignificationem mutet; eſt enim in eo caſu æquivalenter duplex, cum idem ſit, ſeu duæ ideæ diverſæ per unum terminum, ſeu per duos ſignificentur; ut: *omne extenſum eſt corpus; ſed omne ſpatium eſt extenſum: ergo omne ſpatium eſt corpus.* Vox *extenſum* hic mutat ſenſum; in majori enim ſignificat extenſum in concreto, & in minori extenſum in abſtracto.

2.) *Terminus medius neque ex toto, neque ex parte ingrediatur concluſionem.* Cum enim

in

in concluſione termini extremi inter ſe conjungendi ſint (§. 130.), locus non erit termino medio; ſiquidem una quæque propoſitio præter copulam non niſi duos terminos, ſubjectum videlicet, & prædicatum admittit (§. 94. cor. 1. & 2.). Contra peccarent hi ſyllogiſmi: *omnis virtus eſt honeſta; ſed pietas eſt virtus: ergo aliqua virtus eſt honeſta: omnis habitus honeſtus eſt laudandus; ſed pietas eſt habitus honeſtus: ergo pietas honeſta eſt laudanda.*

3.) *Terminus medius ſaltem in una præmiſſarum accipiatur univerſaliter, & quidem complete.* Niſi enim id fieret, mutaret ſenſum, adeoque æquivaleret duobus terminis, quod eſt contra L. 1. Nam ſi medius terminus in utraque præmiſſa accipiatur particulariter, in utraque adſtringitur ad eum ſenſum particularem, quem præciſe admittit alter extremus, quocum in ea propoſitione conjungitur; cum igitur duo extremi inter ſe ſint diverſi, diverſa quoque in termino medio ſignificatio oriatur, neceſſe eſt; ut ſi dicas: *omnis liber eſt aliquod compoſitum; ſed aliquod compoſitum eſt quodvis libri folium: ergo quodvis libri folium eſt liber.* Debet porro hæc univerſalitas termini medii eſſe completa (§. 106. ſchol.); unde pariter vitioſe ſic concludo: *omne in republica munus Cajum ornavit; ſed conſulatus a Titio geſtus eſt aliquod in republica munus: ergo conſulatus a Titio geſtus Cajum ornavit.* Excipitur tamen ab hac lege terminus medius, ſi ſit ſingularis; cum enim determinatum ſemper individuum ſignificet, omne æquivocationis periculum procul abeſt. Inde bene ſic argumentor: *Plato fuit diſcipulus Socratis; ſed Plato fundavit ſectam academicam: ergo aliquis diſcipulus Socratis fundavit ſectam academicam.*

4.) *Terminus extremus non ſumatur uni-*

omnes tres ſint affirmativæ; vel duæ earum negativæ, & una affirmativa.

7.) *Ambæ præmiſſæ non ſint particulares*: Sit enim 1. Syllogiſmus affirmativus, erunt igitur duæ præmiſſæ affirmativæ per L. 6. Si jam duæ præmiſſæ eſſent particulares, medius terminus bis acciperetur particulariter contra L. 3. Nam omnes termini harum propoſitionum ſunt particulares; ii duo, qui ſubjecta agunt, propterea, quia ſubjectum propoſitionis particularis ſemper eſt particulare (§§. 106. 107.); ii duo, qui prædicata agunt, propterea, quia prædicatum propoſitionis affirmativæ ſemper ſumitur particulariter (§. 104.); ſed inter hos medius terminus bis ponitur (§. 130. & ſchol.). Igitur & ipſe bis particularis erit; ut: *aliqua ira eſt virtus; ſed aliqua virtus eſt manſuetudo: ergo aliqua manſuetudo eſt ira.*

Sit 2. Syllogiſmus negativus, erit igitur una præmiſſa pariter negativa per L. 6. Jam in hac præmiſſa negativa medius terminus erit vel ſubjectum, vel prædicatum. Sit primo ſubjectum; iterum bis accipietur particulariter contra L. 3. cum enim medius terminus in negativa præmiſſa, quæ particularis eſt ex hypotheſi, ponatur eſſe ſubjectum, erit is quoque ibi particularis (§. 106. 107.). In altera autem præmiſſa, quæ eſt particularis affirmativa, idem ille medius terminus ſemper erit particularis, ſeu agat ſubjectum, ſeu prædicatum (§§. 106. & 104.): igitur bis accipietur particulariter; ut ſi dicas: *aliqua ira eſt laudabilis; ſed aliqua ira non eſt approbanda: ergo aliquid laudabile non eſt approbandum.* Sit jam ſecundo medius terminus in præmiſſa negativa prædicatum: hoc in caſu non orietur quidem hoc vitium, quod jam bis aſſignavimus; cum enim omne præ-

dicatum propoſitionis negativæ univerſale ſit (§. 105.), medius terminus ſaltem ſemel accipietur univerſaliter, adeoque ſatisfiet L. 3. ſed peccabitur contra L. 4. Videlicet terminus extremus, & quidem major in concluſione erit univerſalis, qui tamen in præmiſſis fuit particularis. Nam in hoc caſu concluſio eſt negativa per L. 6. igitur terminus major, qui ibi prædicatum agit (§. 129.), in ea ſumitur univerſaliter (§. 105.): in præmiſſis vero idem terminus major vel eſt ſubjectum præmiſſæ negativæ (cum ejus prædicatum ex hypotheſi ſit terminus medius) vel aut ſubjectum, aut prædicatum alterius præmiſſæ affirmativæ; quidquid horum ſit, ſemper eſt particularis; ſubjectum enim utriuſque præmiſſæ eſt particulare propter ſuppoſitam particularitatem utriuſque propoſitionis (§§. 106. 107.); prædicatum pariter præmiſſæ affirmativæ eſt particulare per dicta, & (§. 104.): ergo ubicumque in præmiſſis in hoc caſu ponatur terminus major, ſemper eſt particularis; ſic v. g. *quidam impius non fuit philoſophus: ſed quidam Atheus fuit philoſophus; ergo quidam Atheus non fuit impius*. Excipiuntur ab hac lege duæ propoſitiones ſingulares; verum tunc ſolum, quando ipſe terminus ſingularis agit terminum medium, (conf. L. 3.); ſic bene concludis: *Cicero fuit princeps eloquentiæ; ſed Cicero fuit conſul Romanus: ergo quidam conſul Romanus fuit princeps eloquentiæ:* non vero ſic: *Plato fuit diſcipulus Socratis; ſed etiam Xenophon fuit diſcipulus Socratis: ergo Plato fuit Xenophon*.

8.) *Si una præmiſſarum particularis ſit, ſit quoque concluſio particularis*. Sit enim 1. utraque præmiſſa affirmativa: cum una ex iis ponatur eſſe particularis, uterque terminus extremus in his præmiſſis erit particularis;

nam

nam tres termini harum propoſitionum ſumentur particulariter, nempe duo prædicata (§. 104.), & ſubjectum præmiſſæ particularis, & unicus ſolum univerſaliter, qui videlicet ſubjectum agit in præmiſſa univerſali. Hic vero, qui univerſaliter ſumitur, neceſſario eſt terminus medius, qui propter L. 3. ſemel ſaltem debet accipi univerſaliter, ut ſi dicas: *omnis virtus eſt honeſta; ſed aliqua ira eſt virtus:* igitur in hoc caſu uterque extremus in præmiſſis ſumitur particulariter. Jam vero, ſi concluſio fieret univerſalis, utique ejus ſubjectum, nempe terminus minor fieret univerſalis, quod cum per L. 4. non liceat, neceſſe eſt, ut concluſio fiat particularis; igitur inferendum: *ergo aliqua ira eſt honeſta*, non autem: *ergo omnis ira eſt honeſta*. Sit 2. una præmiſſarum negativa: cum rurſus una ponatur eſſe particularis, duo tantum termini in his præmiſſis erunt univerſales; nempe, ſi univerſalis ſit negativa, hujus negativæ ſubjectum, & prædicatum; ſi vero univerſalis ſit affirmativa, ſubjectum affirmativæ, & prædicatum negativæ; inter quos ſaltem ſemel debet eſſe terminus medius per L. 3. alter vero univerſalis poterit eſſe unus ex extremis: proinde unus extremorum certo in præmiſſis erit particularis; ut ſi dicas: *omnis virtus eſt honeſta; ſed aliqua ira non eſt virtus:* ſive *nulla virtus eſt fugienda; ſed aliqua ira eſt virtus:* Jam vero, cum in hoc caſu concluſio fieri debeat negativa per L. 6. ſi ea foret univerſalis, uterque terminus extremus in hac concluſione ſumeretur univerſaliter (§§. 106. 105.); quod cum per L. 4. non liceat, concluſio particularis ſit, neceſſe eſt; igitur inferendum in primo: *ergo aliqua ira non eſt honeſta*, non autem: *ergo nulla ira eſt honeſta*; & in altero: *ergo aliqua ira non eſt fugienda*,

da, non autem: *ergo nulla ira eſt fugienda*.

Coroll. Ex hac, & præcedente lege tiro rurſum colliget, nunquam omnino in ſyllogiſmo legitimo aut unam tantum, aut omnes tres propoſitiones poſſe eſſe particulares; ſed neceſſe generatim eſſe, ut vel omnes tres ſint univerſales, vel duæ particulares, & una univerſalis.

CAPUT XIV.

DE SYLLOGISMO COMPOSITO.

Quotuplex ſyllogiſmus compoſitus? Quid conditionalis? CXXXII. Syllogiſmus *compoſitus* (§. 128.), quatenus attentionem meretur, eſt triplex: vel *conditionalis*, vel *conjunctivus*, vel *disjunctivus*. De his ordine. Syllogiſmus *conditionalis*, ſive *hypotheticus* eſt, cum una ejus præmiſſa eſt propoſitio conditionalis (§. 98.); ut: *ſi mundus providentia regitur, Deus eſt: ſed mundus providentia regitur; ergo Deus eſt*.

Quæ ejus lex? CXXXIII. Syllogiſmus hic unica hac lege ordinatur: *affirmata conditione affirmatur quoque conditionatum; & negato conditionato negatur conditio*. Cum enim in conditione contineatur ratio, cur verum ſit conditionatum (§. 98. cor. 2.), quamdiu ratio ſubſiſtit, veritas quoque conditionati ſubſiſtere debet, & ſi ab oppoſito veritas conditionati non detur, neque ejus ratio in conditione dari poterit; ſic: *ſi anima humana eſt ens ſimplex, ea eſt incorruptibilis: ſed anima humana eſt ens ſimplex; ergo anima humana eſt incorruptibilis*: vel *ſi anima eſt corpus, ea eſt ex partibus compoſita*;

ta: ſed anima non eſt ex partibus compoſita: ergo anima non eſt corpus.

Schol. Si unica ratio, cur conditionatum poſſit eſſe verum, illa ſit, quæ in conditione exprimitur, vera quoque prodit concluſio, cum negata conditione negatur conditionatum, vel affirmato conditionato affirmatur conditio; ut ſi dicas: *ſi otium virtus eſt, illud eſt honeſtum: ſed otium non eſt virtus: ergo otium non eſt honeſtum;* vel *ſi anima ens ſimplex eſt, ea eſt partium expers; ſed eſt partium expers: ergo eſt ens ſimplex.* Contra ſi præter illam, quam conditio continet, aliæ dentur rationes, cur conditionatum verum eſſe queat, concluſio hoc modo elicita falſa erit; ut ſi inferas: *ſi Cajus homicidia eſt, eſt improbus, ſed Cajus non eſt homicida: ergo non eſt improbus;* vel: *ſed eſt improbus: ergo eſt homicida*, Verum ex ipſa hac diverſitate ſatis patet, ejuſmodi concluſiones, quando veræ ſunt, eſſe ſolum ratione materiæ, non vero vi formæ veras, atque adeo hunc Syllogiſmos hypotheticos conſtruendi modum pro lege generali ſtatui non poſſe; lex enim, a qua formalis ratiocinii veritas pendet, pro omni abſolute materia valere debet.

CXXXIV. Syllogiſmus *conjunctivus*, ſive *copulativus* eſt, cujus una præmiſſarum eſt propoſitio copulativa (§. 100.), & quidem negativa, cujus membra ita ſibi opponuntur, ut ſimul vera eſſe nequeant; ut cum dico: *nemo poteſt ſimul ſervire Deo & mundo; ſed multi ſerviunt mundo: ergo multi non ſerviunt Deo.* Quid conjunctivus?

CXXXV. Syllogiſmus Copulativus hanc ſequitur legem: *affirmato membro quocumque reliqua negantur;* cum enim membra copulativa nequeant ſimul vera eſſe (§. præc.), hoc ipſo, quod unum affirmando ponatur eſſe Quæ ejus lex?

ſe verum, reliqua negando tolli debent; ut: *non poteſt anima ſimul æternum vivere, & cum corpore perire; ſed anima æternum vivit: ergo non perit cum corpore.*

Schol. Si membra copulata ita inter ſe pugnent, ut nec falſa ſimul eſſe queant, etiam negato uno reliqua cum veritate affirmantur; ut: *non poteſt aliquod corpus ſimul moveri, & quieſcere; ſed hoc corpus non movetur: ergo quieſcit.* Sed nimirum hæc concluſio rurſus tantum materialiter vera erit; cum id univerſim non obtineat; nam ſi omnia membra ſimul abeſſe, adeoque falſa eſſe poſſint; ex unius negatione haud quaquam vera concluſio ducetur; ut ſi dicas: *nemo poteſt ſimul eſſe Viennæ & Pariſiis; ſed Cajus non eſt Viennæ: ergo Cajus eſt Pariſiis*, quod falſum eſt, ſi ſit Pragæ, vel alibi (conf. §. 133. ſchol.).

Quid disjunctivus? CXXXVI. Syllogiſmus *disjunctivus* eſt, cujus una præmiſſarum eſt propoſitio complete disjunctiva (§. 101. & ſchol.), cujus proinde omnia disjunctionis membra enumerantur; ut: *aut ver eſt, aut æſtas, aut autumnus, aut hyems; ſed ver eſt: ergo neque eſt æſtas, neque autumnus, neque hyems.*

Quæ ejus lex? CXXXVII. Syllogiſmum disjunctivum hæc lex dirigit: *affirmato membro quocumque, aut pluribus, reliqua negantur; & negato uno, aut pluribus reliqua affirmantur.* Membra nempe disjunctionis completæ nec ſimul vera, nec ſimul falſa eſſe poſſunt. Sic: vel *anima humana perit cum corpore, vel poſt mortem corporis manet ſuperſtes; ſed anima humana non perit cum corpore: ergo poſt mortem corporis manet ſuperſtes.* Item: *Vienna vel eſt ſita in Europa, vel in Aſia, vel in Africa, vel in America; ſed Vienna ſita eſt in Europa: ergo neque in Aſia, neque in Africa, neque in America.*

C. A.

CAPUT XV.

DE
RELIQUIS ARGUMENTATIONIS SPECIEBUS.

CXXXVIII. *Enthymema* eſt Syllogiſmus, cujus una præmiſſa in mente retinetur, propterea quod per ſe facile a quovis intelligi, ac ſuppleri poteſt; ut cum dico: *anima humana eſt ens ſimplex: ergo eſt incorruptibilis*. Prior *antecedens*: altera *conſequens* audit. Quid enthymema?

CXXXIX. *Epicherema* nuncupatur Syllogiſmus, cujus vel alterutri, vel utrique præmiſſarum ſua ſtatim ratio adjungitur, quo adverſarius uno velut impetu undique conſtringatur; ut: *omne ens ſimplex eſt incorruptibile: non enim habet partes, in quas reſolvi poſſit; ſed anima humana eſt ens ſimplex; nam impoſſibile eſt, ut ens compoſitum cogitet: ergo anima humana eſt incorruptibilis*. Quid epicherema?

CXL. *Dilemma* eſt argumentatio, in qua ex ſingulis propoſitionis cujuſdam complete disjunctivæ (§. 101. & ſchol.) membris aliquid contra adverſarium infertur; ut eſt illud Tertulliani in apologia pro Chriſtianis adverſus Trajani Imp. decretum: *vel nocentes ſunt Chriſtiani, vel innocentes: ſi nocentes: cur inquiri prohibes? Si innocentes: cur delatis pœnam irrogas?* Vel illud contra Scepticos: *de omnibus dubitandum eſſe vel verum eſt, vel falſum; ſi verum: ergo habetur indicium, per quod verum a falſo diſcernatur; ſi falſum: ergo habetur indicium, per quod falſum a vero diſcernatur*. Quid Dilemma?

Le-

Leges legitimi Dilemmatis.

1.) *Disjunctio ſit completa*; ſi enim membra omnia ſimul falſa eſſe poſſent, adverſarius negando antecedens vim argumenti eluderet; ſic male arguit Tullius *mortem non eſſe timendam ex eo, quod animus vel pereat cum corpore, vel poſt mortem æternum beatus ſit futurus*; disjunctio enim deficiente aliquo membro, non eſt completa. Poteſt nempe etiam animus poſt mortem eſſe perpetuo infelix, ac miſer.

L. de Senect.

2.) *Quod infertur, ex ſuo membro legitime profluat*, ſecus adverſarius negando conſequentiam elabetur; ſi ſic arguas: *vel anima perit cum corpore, vel poſt mortem erit ſuperſtes: ſi perit; mors non eſt timenda, cum nihil ſentiat amplius; ſi manet ſuperſtes, mors iterum timenda non eſt, cum ſit beata futura*; utraque illatio negari poteſt; neque enim in falſa hypotheſi, quod anima pereat cum corpore, neque ex eo, quod maneat ſuperſtes, ſequitur mortem non eſſe timendam, cum in primo caſu poſſent graviſſimi dolores ipſum interitum comitari; in altero, æterna miſeria mortem ſubſequi.

3.) *Non ſit* ἀντιςρεφον, ſive *reciprocum*, quod tum contingit, quando adverſarius eadem enunciatione disjunctiva uti, atque ex ipſius membris aliquid contra argumentantem inferre poteſt; ſic quiſpiam probare voluit munus in republica ſuſcipiendum non eſſe, uſus hoc dilemmate: *vel bene, vel male adminiſtrabis munus ſuſceptum; ſi bene: offendes homines; ſi male: Deum*. Quod inverti poteſt hac ratione; *vel bene, vel male adminiſtrabis munus ſuſceptum; ſi bene: placebis Deo; ſi male: hominibus*. Ejuſmodi quoque eſt pervulgatum illud Protagoræ contra Evathlum in jus vo-

ca-

catum; *vel pro me pronunciabunt judices, vel pro te: ſi pro me: mercedem ſolves ex ſententia judicum; ſi pro te: eamdem ſolves ex pacto*, quod ingenioſe Evathlus retorſit; *vel pro me pronunciabunt judices, vel pro te; ſi pro me: nihil ſolvam ex ſententia judicum; ſi pro te: nihil ſolvam ex pacto*. Protagoras nempe, referente Aulo Gellio, Evathlum in jure inſtruxit eo pacto, ut ubi primam cauſſam in foro vicerit, alteram mercedis partem deperat; callidus vero diſcipulus, ut ne ad ſolvendam mercedem adigeretur, nullius cauſſæ patrocinium ſuſcepit. *Noct. Att. l. 5. c. 10.*

CXLI. *Sorites* eſt argumentatio, in qua plures propoſitiones ita copulantur, ut ſemper prædicatum præcedentis fiat ſubjectum ſequentis, donec formetur concluſio, in qua ſubjectum primæ conjungitur cum prædicato ultimæ; ut: *anima humana eſt ens ſimplex, ens ſimplex non componitur ex diverſis partibus, quod non componitur ex diverſis partibus, non eſt reſolubile in partes, quod non eſt reſolubile in partes, eſt incorruptibile: ergo anima humana eſt incorruptibilis*. Vel: *quodlibet corpus eſt in aliquo loco, quod eſt in aliquo loco, poteſt etiam eſſe in alio loco, quod poteſt eſſe in alio loco, poteſt mutare locum, quod poteſt mutare locum, eſt mobile: ergo quodlibet corpus eſt mobile*. Quid ſorites ?

Coroll. Naturam hujus argumentationis inſpectanti facile patet, plures ſyllogiſmos conſtrictos, ac velut truncatos in ea latere; unde etiam ſorites ſemper in eoſdem reſolvi poteſt, & quidem univerſim in tot, quot ſunt præmiſſæ, una tamen demta; ſic ſuperior ſorites reſolvitur in hos ſyllogiſmos: *ens ſimplex non componitur ex diverſis partibus; ſed anima eſt ens ſimplex: ergo anima non componitur ex diverſis partibus. Quod non com-*

po-

ponitur ex diverſis partibus, non eſt reſolubile in partes; ſed anima non componitur ex diverſis partibus: ergo anima non eſt reſolubilis in partes. Quod non eſt reſolubile in partes, eſt incorruptibile, ſed anima non eſt reſolubilis in partes: ergo anima eſt incorruptibilis.

Leges legitimi Soritis.

1.) *Nulla præmiſſarum dubia ſit, aut falſa:* cum enim ex falſo antecedente non ſequatur legitime verum conſequens (§. 125. cor. 3.), concluſio in ſorite falſa ſit, aut dubia, neceſſe eſt, ſi vel una præmiſſarum talis ſit; ita peccat ſorites Velleii Epicurei apud Ciceronem. *Dii ſunt beatiſſimi, beatus quis non eſt ſine virtute, virtus non eſt ſine ratione, ratio non eſt, niſi in hominis figura: igitur Dii habent hominis figuram;* oſtendit vitium Cotta: nempe falſum eſſe, quod ratio non ſit, niſi in hominis figura.

De nat. D. l. 1. c. 18. L. c. c. 30.

2.) *Omnes præmiſſæ non ſint negativæ;* talis enim ſorites reſolveretur in ſyllogiſmos, quorum omnes propoſitiones forent negativæ, quales vitioſi ſunt (§. 131. L. 5.). Sic nihil inferres dicendo: *anima non eſt corpus, corpus non cogitat, quod non cogitat, non eſt neceſſario ens ſimplex* &c. &c.

Cic. de div. l. 2. c. 4. Schol. *Sorites* græce, latine *Acervalis* veteribus erat ut plurimum captioſa, atque ad fallendum inſtituta argumentandi ratio, ut nempe minutiſſimis additionibus, aut ſubtractionibus ab eo, quod evidenter verum eſt, ad aliquid aperte falſum adduceretur adverſarius: ut ſi quis afferat, eum auctorem inter antiquos jure habendum eſſe, qui ante 100. annos ſcripſerit; ſi jam quæras, quid vero, ſi ante 99. annos, pariterne antiquus dicendus, an non? Hocque conceſſo urgeas; quid ſi ante

te 98. & ſic porro inſtando ad triennium; vel biennium devenias, quæraſque iterum, an is inter antiquos reputandus, an non? Cicero Epicuro hoc vitium vehementer exprobrat. Chryſippum quoque hoc argumentandi genere delectatum fuiſſe ex Laertio conſtat. *Qq. Acad l. 4. c. 16.*

CXLII. *Inductio* eſt argumentatio, in qua, quod de ſingulis ſive generibus, ſive ſpeciebus, ſive individuis affirmatum, vel negatum eſt, univerſim de toto genere, aut ſpecie concluditur; ut ſi dicas: *aurum, argentum, cuprum, plumbum, ferrum, ſtannum, platina igni injecta liqueſiunt: ergo omne metalum igni injectum liqueſit.* Vel: *infans, puer, adoleſcens, vir, ſenex ſuis ſubjecti ſunt vitiis; ergo nulla hominum ætas a vitiis exemta eſt.* Quid inductio?

CXLIII. Inductio eſt *completa*, ſi omnia individua, aut ſpecies, aut genera ſubjecta enumerentur: *incompleta* vero, ſi quædam omittantur. Quotuplex inductio?

Schol. Inductio completa robur habet invictum, cum fieri ſimpliciter nequeat, ut id, quod ſingulis individuis, aut ſpeciebus competit, integræ ſpeciei, aut generi, quod ea ſub ſua extenſione complectitur, non conveniat. Minus firmiter concludit incompleta; magnam tamen, ſi rite adhibeatur, vim obtinet, itaque rem perſæpe conficit, ut non niſi imprudens de veritate per ejuſmodi inductionem ſtabilita dubitare poſſit; immo quandoque etiam eo pertingit, ut fere abſolutæ demonſtrationi æquipolleat. Sic per inductionem inducimur; ut putemus, eum, qui nobiſcum loquitur, habere animam rationalem, ut nos; vitulum, quem coram vivum intuemur, habere jecur, lienem, reliquaſque internas partes ita diſpoſitas, prout in diſſecto conſpiciuntur; & quidem ita hæc tenemus, ut, non obſtante abſoluta in contrarium poſſibilitate, abſque inſaniæ Quod robur completæ, & incompletæ?

ſaniæ nota hæc, & ſimilia in dubium vocare nequeamus. Eſt hæc inductio, quæ etiam frequentius argumentum ab *analogia* petitum denominatur, phyſicis præcipue in uſu, ſervitque ad inveſtigandas generales corporum proprietates, ac univerſales naturæ leges conſtabiliendas, quibus in caſibus inductio completa
Diſſert. de lege contin. fruſtra potiſſimum deſideratur. Eam in rem elegantiſſima monita ſuppeditat Cl. P. Boſcovich, quæ in compendium redacta hic exhibeo.

Leges de legitimo Inductionis uſu.

1.) Si exſiſtentia generalis cujuſdam in natura legis per inductionem probanda ſit, neceſſe eſt, ut ea in omnibus omnino caſibus, qui in examen vocari poſſunt, iiſque numero non paucis obtinere deprehendatur; ſic phyſici, cum in omnibus corporibus, quæ ſub experientiam cadunt, deprehendant unum ab altero loco excludi, hanc proprietatem, quam *impenetrabilitatem* vocant, omnibus omnino corporibus quantumcumque vel ob diſtantiam, vel ob exiguitatem a ſenſibus noſtris remotis abſque hæſitatione attribuunt. Hoc porro in caſu non oberit, ſi quandoque contrarium fieri videatur, ſi modo illud examine accuratius inſtituto, reque melius perſpecta cum lege ſtabilita certo quodam modo conciliari poſſit; ſic non obeſt, quod ſæpius unum corpus in alterum, ut aqua in ſpongiam, olea in marmor, penetrare videatur; cum hæc & ſimilia cum impenetrabilitate generali facile concilientur, dicendo: id ob vacuos corporum poros fieri debere.

2.) Si quæpiam proprietas *abſoluta*, quæ videlicet nullum ad ſenſus noſtros reſpectum habet, univerſim in majoribus, ac ſenſibilibus corporum maſſis deprehendatur; ea quo-

que inſenſibilibus, & quantumcumque exiguis corpuſculis attribui debet, niſi manifeſta ratio obſtet; magnitudo ſiquidem, & parvitas reſpectu rerum, ut ſunt in ſe, nihil mutant, totumque a noſtrorum ſenſuum acumine pendet. Sic ex eo, quod omnia corpora ſenſibilia *gravia*, & *impenetrabilia* ſint, concludendum eſt *gravitatem*, & *impenetrabilitatem* minimis quoque earum partibus, ac corpuſculis inſenſibilibus competere.

3.) Proprietas *reſpectiva*, quæ nempe ſolum comparate ad ſenſus noſtros talis eſt, a majoribus corporum maſſis ad minima corpuſcula transferri non debet; id enim magnitudinis diſcrimen, etſi reſpectu corporum ſit accidentale, non tamen in relatione ad eas proprietates tale eſt; ſic non eſt inferendum minima corpuſcula eſſe *ſenſibilia*, *colorata* &c. ex eo, quod id in majoribus corporum maſſis deprehendatur.

4.) Proprietas pariter, quæ rei cuipiam ſolum ratione totius, aut compoſitionis convenit, a toto ad partes, a compoſito ad ſimplicia, ex quibus illud conſurgit, transferri nequit; ſic omni toti competit habere partes, ſed non propterea quælibet pars ſuis iterum partibus conſtat; item de ratione cujuslibet extenſi eſt, ut habeat partes extra partes poſitas, ſed non propterea debent in quavis extenſi parte rurſum plura diverſa eſſe, quorum unum extra aliud poſitum ſit.

CXLIV. *Polyſyllogiſmus*, ſive argumentatio polyſyllogiſtica oritur, cum plures ſyllogiſmi inter ſe connectuntur, ac velut concatenantur. Fit id duplici modo: 1.) ut concluſio præcedentis fiat præmiſſa ſequentis, ſic *v. g.* *omne quod cogitat, eſt ſpiritus: ſed anima humana cogitat: ergo anima humana eſt ſpiritus. Omnis ſpiritus eſt ens ſimplex: ſed anima humana eſt ſpiritus: ergo anima humana eſt ens ſim-* Quid polyſyllogiſmus?

ſimplex . Omne ens ſimplex eſt incorruptibile ; ſed anima humana eſt ens ſimplex : ergo anima humana eſt incorruptibilis . 2.) Ut una præmiſſarum præcedentis fiat concluſio ſequentis ſyllogiſmi ; ut ſi invertas dicendo : *omne ens ſimplex eſt incorruptibile ; ſed anima humana eſt ens ſimplex : ergo anima humana eſt incorruptibilis . Omnis ſpiritus eſt ens ſimplex ; ſed anima humana eſt ſpiritus : ergo anima humana eſt ens ſimplex . Omne , quod cogitat , eſt ſpiritus ; ſed anima humana cogitat : ergo anima humana eſt ſpiritus .*

Quid Sophiſma ? CXLV. Argumentatio , quæ vitio laborat , atque adeo forma ſua (§. 124.) deſtituitur , *paralogiſmus* , vel *ſophiſma* audit ; ſic ſophiſta evadis , cum argumentaris : *quod non perdidiſti , habes ; ſed non perdidiſti centum aureos : ergo habes centum aureos .*

SCHOL. De variis ſophiſmatum generibus , eorumque reſolutionibus copioſe antiquiores , ac præſertim Peripatetici ad exemplum ducis ſui Ariſtotelis diſſeruerunt ; verum fructu permodico : nec videtur e re diſcentium eſſe , eorum memoriam tanta copia præceptorum , quorum uſus in praxi rariſſimus eſt , obruere ; *Log. 1. ep. 2.* præcipue cum , ut erudite obſervat P. Buffier, generalis omnium fere fallaciarum fons ſit æquivocatio , quæ attenta mentis applicatione non difficulter detegitur . Suppeditavimus quoque (§ 125. cor. 2.) normam univerſalem ; ad quam tiro cujuslibet ratiocinii concluſionem exigere , ejuſque cum antecedente nexum detegere poſſit ; quodſi tamen plura deſideret , hæc obſervet ; cum cujuslibet ſyllogiſmi dati vitium , quod quæritur , vel in terminis , vel in propoſitionibus latere debeat , inſpiciat primum terminos , videatque , num plures ſint , quam tres ? Num medius concluſionem ingrediatur , aut bis particulariter ſumatur ? Num

ali-

aliquis extremorum ſit univerſalis in concluſione, qui particularis fuit in præmiſſis? Tum inſpiciat propoſitiones, videatque, num utraque præmiſſa ſit particularis, aut negativa? Num una præmiſſarum exſiſtente particulari, aut negativa concluſio quoque talis ſit? Hæc uti uno veluti intuitu mente percurrere poteſt; ita quoque uno quaſi momento vitium ſyllogiſmi cujuslibet dati aſſignare poterit.

PARS

PARS SECUNDA LOGICÆ.

DE VERITATE COGNOSCENDA.

§. CXLVI.

Quod argument. partis ſecundæ?

FAcultas cognoſcitiva mentis noſtræ per operationes ſuas veritatem attingere nititur, eaque in re a logica directionem exſpectat (§.45.): quare, expoſitis jam natura, proprietatibus, legibuſque univerſalibus operationum ab ea facultate elicitarum, ordo poſtulat, ut, quid veritas ſit, quibuſque ea indiciis ab inimica ſibi falſitate dignoſcatur, diſpiciamus (§.46.). Hæc eſt ſumma alterius hujus partis.

CAPUT I.

DE VERITATE, AC FALSITATE IN GENERE, EARUMQUE DIVERSIS SPECIEBUS.

Quid veritas, & falſitas logica?

CXLVII. *Veritas*, quatenus ad logicam ſpectat, eſt convenientia noſtræ cogitationis cum ſuo objecto; *falſitas* contra eſt diſconvenientia noſtræ cogitationis cum ſuo objecto.

Coroll. 1. Veritas igitur eſt affectio quædam, ſive modus (§. 52.) noſtræ cogitationis, ab eaque pendet, nec per ſe ſine ea realiter ſubſiſtere poteſt.

Coroll. 2. Cum porro ipſa cogitatio aliud non ſit, quam affectio quæpiam mentis cogitantis, palam eſt, veritatem realiter extra mentem cogitantem non exſiſtere.

Coroll. 3. Falſitas contradictorie opponitur veritati, & conſiſtit in ipſius negatione; cogitatio enim, quæ non convenit objecto, hoc ipſo diſconvenit.

Schol. Neminem latere poteſt, veritatem hoc modo intellectam ſolum in abſtracto (§§. 70. 71.) conſiderari, quæ ſi in concreto accipiatur, erit ipſa *cogitatio ſuo objecto conſentanea*. Hæc porro veritas *logica* compellatur, ut diſcriminetur ab ea, quam metaphyſica, ac illa, quam philoſophia moralis in contemplationem vocat. *Veritas metaphyſica* in eo conſiſtit, ut res actu exſiſtens habeat omnia, quæ ad ejus realem, ac naturalem conſtitutionem requiruntur; ſic enim dicimus *verum* eſſe *aurum*, cum res omnia habet, quæ ad realem *auri* naturam per ſe requiruntur: huic veritati nihil opponitur; nequit enim res non eſſe id, quod eſt. *Veritas* deinde *moralis* eſt convenientia ſermonum cum mente, & ſenſu loquentis; nam *veracem* eum dicimus, qui, ut ſentit, loquitur, etſi forte res ſe aliter habeat: huic adverſatur *mendacium*. Quid veritas in concreto? Quid metaphyſica, & moralis?

CXLVIII. Cogitationes noſtræ referuntur vel ab objectum, quod realiter extra nos tale non exſiſtit, quale a mente noſtra concipitur: vel ad objectum, cui exſiſtentia etiam realis extra nos, ac independenter a noſtro conceptu competit (conf. §§. 51. cor. 2. 73.). Oritur hinc duplex veritatis ſpecies maximi in recta cogitandi methodo momenti. Quotuplex veritas logica?

CXLIX.

Quid veritas interna, & externa?

CXLIX. Veritas *interna*, ſive *formalis* eſt convenientia cogitationis noſtræ cum objecto, quod realiter extra nos ſaltem tale non exſiſtit, ut cum cogito: *circulus eſt rotundus*: vera eſt mea cogitatio, etiamſi nullus exſiſteret circulus; tales ſunt veritates omnes pure geometricæ. Veritas *externa*, ſive *objectiva* eſt convenientia noſtræ cogitationis cum objecto, quod realiter extra nos exſiſtit; ut, cum cogito: *tellus eſt minor ſole*; datur etiam veritas externa, vel objectiva; at cum cogito: *mons aureus præruptus difficulter ſcanditur*; hæc cogitatio erit quidem interne, vel formaliter, non vero externe, aut objective vera.

Coroll. Quamdiu veritatem ſolum internam poſſidemus, non poſſumus judicare de exſiſtentia reali objecti extra mentem; at per veritatem externam certi reddimur, objectum, quod eſt in noſtra cogitatione, etiam extra eamdem realiter ita exſiſtere.

Schol. Veritas interna eſt clara, diſtincta, ſimulque indefectibilis; clare enim, & diſtincte diſcernere poſſumus, num una idea ſit conveniens alteri, cum hæ ideæ ſint ipſa mentis noſtræ actio, per quam illa intime de ſe ipſa, ac de ſuis operationibus judicat. Contingit id in geometria pura, quæ aliud non eſt, quam ſyſtema quoddam, ſive collectio veritatum internarum, in qua, remota omni cura, ac ſollicitudine de reali objectorum extra nos exſiſtentia, ex hypotheſi quadam in mente poſita deducuntur conſecutiones diverſiſſimæ, quæ totidem veritates internas, ac irrefragabiles conſtituunt; ſic demonſtramus: *globum etiam integrum terraqueum, ſi perfecto in æquilibrio conſtitueretur, in minima acus cuſpide ſuſtineri poſſe*; parum ſolliciti, num hoc æquilibrium reipſa deſit, aut dari poſſit.

At

At vero veritas externa frequenter admodum obſcura, dubia, ac fallibilis eſt; perſæpe enim ſcire non conceditur, an cogitationes noſtræ ipſis objectis, quæ extra nos reapſe exſiſtunt, conveniant. Atque inde eſt, quod præſtantiſſimi etiam logici, ac geometræ ingentia volumina egregiis quidem veritatibus internis, at ſimul graviſſimis erroribus impleverint; cum enim veritas interna ſine externa ſubſiſtere poſſit, facile contingit, ut ea cum falſitate externa, ac objectiva quandoque conjungatur. Exemplo ſit Carteſius: poſito, ut vult, omnem extenſionem eſſe materiam, neceſſe omnino erit, dari ubique materiam, ubi extenſio concipi poteſt: jam vero, cum impoſſibile ſit, ut extra hunc mundum non concipiatur extenſio, extra mundum quoque materia dabitur, atque adeo mundus erit abſque limitibus in infinitum extenſus: porro cum quoque ante creationem mundi aliquam extenſionem concipere queam, oportet, ut materia jam ante creationem mundi exſtiterit; quæ, cum extenſionem eam abſque initio concipiam, nec initium habuit, nec creata fuit, unde ſequeretur materiam non a Deo factam, ſed a ſe ipſa exſtitiſſe. En veritates internas cum graviſſimis erroribus, ac falſitatibus objectivis copulatas: omnes hæ concluſiones ſunt veriſſimæ, ac irrefragabiles, quamdiu in mente duntaxat conſiderantur; at falſæ, ac abſurdæ, ſi ad realem materiæ exſiſtentiam referantur. Non foret difficile, complura ejuſmodi exempla, ſi res poſceret, hic adducere, præſertim ſi decantata illa Leibnitii, VVolfiique principia *rationis ſufficientis*, ac *indiſcernibilium* in examen paullo accuratius vocare liberet; ſed de his alias erit dicendi locus.

CL. Cum cogitamus, vel ideas tantum, vel judicia etiam, ac ratiocinia efformamus

 (§. 48.):

(§. 48.): igitur, quæ de veritate cogitationum in genere adhuc dicta ſunt, jam nominatim ad triplicem hunc cogitandi modum applicari debent.

CAPUT II.

DE

VERITATE IDEARUM, JUDICIORUM, AC RATIOCINIORUM.

Quid veritas ideæ interna, & externa?

CLI. Cum omne idearum objectum vel poſſibile tantum, vel actu exſiſtens ſit (§. 51. cor. 2.), iſtudque vel intra nos, vel extra nos tale eſſe poſſit (conf. §. 73.), perſpicuum eſt, ideam ad triplicis generis objecta referri poſſe. Idea eſt *interne*, ſeu *formaliter vera*, quando objecto vel tantum poſſibili, vel actu intra nos exſiſtenti, ad quod refertur, convenit. Idea eſt *externe*, ſeu *objective vera*, quando objecto extra nos reapſe exſiſtenti, ad quod refertur, convenit. Hæc porro convenientia habetur, ſi notæ, quas idea ut cum objecto conjunctas repræſentat, revera in, & cum objecto conjunctæ ſunt; ut idea *ſolis*, cum *eam magnitudinem*, *eum colorem*, *ſplendorem*, *motum*, reliquaſque notas, quæ in ſole inſunt, repræſentat. In caſu oppoſito idea *objective falſa* eſt; nimirum ſi notæ, quas repræſentat, non ſint in objecto reali: ut idea, quæ *turrim quadratam* longe diſtantem, *ut rotundam*, vel *remum* aquæ immerſum *ut curvum* exhibet.

An idea umquam interne falſa?

CLII. *Omnis idea eſt interne*, *ſeu formaliter vera*. Fieri enim abſolute nequit, ut idea objecto ſolum poſſibili, aut actu intra nos exſiſtenti, ad quod refertur, non conveniat;

non

non certe iſtud: quia non poteſt id non eſſe in mente, quod ipſa in ſe percipit; ſed neque illud: nam hoc in caſu mens ipſa ſibi notas quaſdam componit, quæ, quia inter ſe non opponuntur, in uno, eodemque objecto ſimul conſiſtere poſſunt, atque adeo ipſa ſibi ſuum objectum ſimul, & ideam conformat, quæ propterea inter ſe diſcrepare minime poſſunt. Omnis igitur idea, quamdiu non refertur ad objectum externum actu exſiſtens, vera eſt. Tales ſunt ideæ *figurarum* a geometris formatæ; ita etiam in moralibus formatur idea *v. gr. parricidii* conjungendo notas, quæ ſibi non opponuntur ſine attentione, utrum notæ ſic conjunctæ umquam exſtiterint; ſic item primi legislatores ideam pœnæ, qua parricidæ mulctandi eſſent, conformarunt.

Schol. 1. Si quis notas, quæ, quia ſibi opponuntur, ſimul in uno objecto conſiſtere nequeunt, in unam ideam componere tentet, is obtinet ideam deceptricem (§. 77. ſchol.), quæ, cum reipſa nulla ſit (§. cit. & §. 51. cor. 3. cum ſchol.), nec vera, nec falſa dici poteſt; quales ſunt: *Dei creati*; *creatura infinita*; *circuli quadrati*; *ligni ferrei* &c.

Quid idea imaginaria, & ejuſque veritas, ac falſitas?

Schol. 2. Eſt & aliud idearum genus, quas *imaginarias* vocant; cum videlicet ob quampiam ſimilitudinem nobis fingimus, quod non eſt, ut quaſi per imaginem objectum oculis præſens ſiſtamus, ut cum nobis *memoriam* ut *idearum receptaculum* repræſentamus; uti enim in receptaculo quodam repoſita alio, quando lubitum fuerit, tempore reſumimus, ita quaſi ideas in memoria reponimus, & alio iterum tempore reſumimus. Patet autem ejuſmodi ideas imaginarias, quatenus fingunt, quod non eſt, falſas: quatenus vero id, quod eſt, ſub aliquo quaſi involucro deſignant, veras eſ-

ſe; unde a VVolſio *vicaria realium* compellantur: earum uſus in metaphyſica patebit.

Quid veritas, & falſitas interna judicii? CLIII. Judicium affirmativum *interne*, ſeu *formaliter verum* eſt, cum idea prædicati convenit ideæ ſubjecti; ut: *circulus eſt rotundus*. Negativum: cum idea prædicati non convenit ideæ ſubjecti; ut: *circulus non eſt quadratus*. Si oppoſitum obtineat, utrumque *falſum* erit; ut: *circulus eſt quadratus*, *circulus non eſt rotundus*.

Quid convenientia, aut pugna idearum in judicio? Schol. Eſt videlicet veritas interna judicii quædam connexio, aut repugnantia unius ideæ cum altera, quarum utraque ſimul præſens eſt menti, quæ earum convenientiam, vel repugnantiam percipit, quin neceſſe ſit, ut aliquid extra mentem judicantem reipſa exſiſtat, quod ſit realiter tale, quale illud eſt, quod actu in cogitatione eidem obverſatur. Conſiſtit porro hæc convenientia idearum relate ad judicium affirmativum in eo, ut idea ſubjecti in ſe includat ideam prædicati, ita, ut nequeat deſtrui idea prædicati, quin hoc ipſo deſtruatur idea ſubjecti; ut cum judico: *circulus eſt rotundus*, idea circuli continet ideam rotunditatis, & ſi nulla daretur rotunditas, nullus quoque daretur circulus. At falſum eſt hoc judicium: *circulus eſt quadratus*; poſſum enim deſtruere ideam quadraturæ, quin deſtruatur idea circuli, cum poſſit dari circulus ſine quadratura. Ab oppoſito, in judicio negativo requiritur, ut idea ſubjecti non contineat, ſed a ſe excludat ideam prædicati; ſic verum eſt: *circulus non eſt quadratus*; falſum contra: *circulus non eſt rotundus*. Atque hoc univerſim obtinet, neque circa judicia, quæ in materia contingente verſantur, ulla eſt exceptio facienda; ſit enim hoc judicium *marmor eſt rotundum*; videtur quidem idea rotunditatis tolli poſſe, quin tollatur idea mar-

mo-

moris: at eo momento, quo hoc judicium formatum verum eſt, ipſa idea marmoris includit omnia adjuncta, ac notas marmori tum convenientes, atque adeo ipſam quoque rotunditatis ideam, quæ hoc ipſo deſtrui non poteſt, quin ſimul deſtruatur ea marmoris idea, quæ tum ſubjectum agit. Generatim igitur judicium affirmativum veritate interna gaudet, quoties idea prædicati repræſentat notam vel conſtantem, vel mutabilem (§. 52.) in idea ſubjecti *tum* incluſam; & judicio negativo eadem veritas competit, quoties idea prædicati repræſentat notam vel conſtantem, vel mutabilem in idea ſubjecti *tum* non contentam.

CLIV. Judicium *externe*, ſeu *objective verum* eſt, cum idea prædicati ita affirmatur, vel negatur de idea ſubjecti, ut res ipſæ realiter exſiſtentes per has ideas repræſentatæ congruunt, vel non congruunt: ſic verum eſt hoc judicium: *tellus eſt minor ſole*. In caſu oppoſito erit illud *objective falſum*: ut, *tellus eſt major ſole*. Quid veritas, & falſitas externa judicii?

CLV. *Omne judicium vel verum eſt, vel falſum*; cum enim falſitas contradictorie opponatur veritati (§. 147. cor. 3.), fieri nequit, ut aliquod judicium ſimul verum ſit & falſum, aut nec verum, nec falſum; veritas hujus per ſe patet, nititurque duobus axiomatis notiſſimis: *impoſſibile eſt, ut aliquid ſimul ſit, & non ſit: quodlibet eſt, vel non eſt.* An omne judicium verum aut falſum?

CLVI. Judicium eſt *neceſſario verum*, ſive, ut ajunt, *in materia neceſſaria*, cum ita verum eſt, ut ſine contradictione falſum eſſe nequeat; ut *circulus eſt rotundus*: *Deus exſiſtit*. Contra *neceſſario falſum*, ſive in *materia impoſſibili*, cui veritas pro omni caſu repugnat; ut *circulus eſt quadratus*, *Deus pendet ab alio*. Cum autem judicio veritas ita com- Quid judicium neceſſario, vel contingenter verum, aut falſum?

petit, ut tamen pro aliquo caſu ſine contradictione falſum eſſe poſſit, aut viciſſim, erit illud in *materia contingente*, atque *contingenter* verum, ut: *mundus exſiſtit*; vel falſum, ut: *tellus eſt major ſole*.

COROLL. Cum propoſitio judicium internum enunciet (§. 94.), quæ de hujus veritate, aut falſitate adhuc dicta ſunt, ad eam quoque applicari debent.

SCHOL. Non eſt tamen ſemper pronum tironi de cujuslibet propoſitionis veritate, aut falſitate judicium ferre, qua in re ne offendat, leges quaſpiam ſuppeditabimus.

Leges de dijudicanda Propoſitionum Veritate, aut Falſitate.

Quando propoſitio falſa aut vera? 1.) *Propoſitio, quæ non eſt vera ſecundum omnes partes, & reſpectus, quos ex uſu recepto affirmare, vel negare intelligitur, ſimpliciter inter falſas reponi debet.* Inde falſa eſt 1.) propoſitio modalis (§. 96.), ſi prædicatum non conveniat ſubjecto eo modo, qui enunciatur, etſi ceteroquin convenientia daretur, ut: *circulus eſt contingenter rotundus*, *mundus neceſſario exſiſtit*.

Modalis? Cauſſalis? 2.) Propoſitio cauſſalis falſa eſt (§. 99.), ſi vel alterutra pars, vel ipſa ratio allata falſa ſit; ut: *anima humana eſt ſubſtantia, quia eſt corpus, vel eſt corruptibilis, quia eſt corpus*; ut igitur ejuſmodi propoſitio vera ſit, requiritur primum, ut utraque pars ſit vera, deinde etiam ratio per particulam *quia* prolata debet eſſe vera, ac legitima ratio, cur in altera parte prædicatum conveniat ſubjecto; ut: *anima humana eſt incorruptibilis, quia eſt ens ſimplex*.

Copulativus? 3.) Propoſitio copulativa (§. 100.) falſa eſt, ſi vel unum illius membrum falſum ſit; ut: *anima humana eſt ſpiritualis, & mortalis*, vel *pietas, caſtimo-*

ſimonia, otium laudes ac præmia merentur; ejuſmodi nempe compoſita propoſitio eſt quaſi aggregatum tot ſimplicium, quot ſunt ejus ſubjecta, vel prædicata, unde qui compoſitam dicit veram, affirmat implicite ſingulas quoque ſimplices eſſe veras, quod utique falſum eſt, ſi vel una ex iis falſa ſit. 4.) Contra vero ad veritatem disjunctivæ (§. 101.) propoſitionis tantum requiritur, ut una disjunctionis pars vera ſit, una enim ſolum disjunctarum partium in ea affirmatur; ſic vera eſt hæc: *vel animus perit cum corpore, vel poſt mortem corporis eſt ſuperſtes*. Falſa autem erit, ſi nullum disjunctionis membrum verum ſit, quod contingit, cum disjunctio eſt incompleta (§. cit. ſchol.); ut: *vel animus perit cum corpore, vel poſt mortem corporis erit beatus*. Disjunctiva?

5.) Pariter, ut propoſitio conditionalis (§. 98.) vera ſit, non requiritur, ut id, quod in conditione, & conditionato ponitur, verum ſit; ſed ſolum, ut in conditione ratio conditionati contineatur, id eſt, ut ea detur connexio inter conditionem & conditionatum, ut unius veritas ab alterius veritate pendeat (conf. §. cit. cor. 2.). Ratio eſt: quia conditionalis propoſitio eam ſolum connexionem affirmat, abſtrahendo, utrum conditioni, aut conditionato per ſe veritas competat; ſic vera eſt hæc: *ſi anima humana eſt corpus, ea eſt corruptibilis*; & falſa hæc: *ſi anima humana eſt incorruptibilis, ea eſt ſpiritus*, nam adhuc poſſet eſſe ens ſimplex materiale. Conditionalis?

2.) *Si vera eſt propoſitio ſubalternans* (§. 112.), *vera quoque eſt ejus ſubalternata*; quod enim univerſaliter omnibus convenit, neceſſe eſt, ut etiam quibuſdam ſub iis contentis conveniat; ut: *omnis virtus eſt laude digna*, *aliqua virtus eſt laude digna*. *Si ſubalternata falſa ſit, ſubalternans quoque erit falſa*; præ- Subalternantes?

dicatum enim, quod aliquibus non competit, multo minus omnibus competere poteſt; ut: *aliquod vitium eſt honeſtum, omne vitium eſt honeſtum.* In materia contingente (§. 156.) *poteſt ſubalternans eſſe falſa, quin ejus ſubalternata falſa ſit;* poteſt enim nota mutabilis convenire aliquibus, quin conveniat omnibus: ut, *omnis homo eſt eruditus, aliquis homo eſt eruditus.* Non vero in materia neceſſaria, vel impoſſibili; ut: *omne vitium eſt honeſtum, aliquod vitium eſt honeſtum.* Ob eamdem rationem poteſt in materia contingente *vera eſſe ſubalternata, quin vera ſit ejus ſubalternans;* ut: *aliquis homo virtutem colit, omnis homo virtutem colit.* Non vero in materia neceſſaria; ut: *aliqua virtus eſt honeſta, omnis virtus eſt honeſta.*

Coroll. In omni igitur materia valet concluſio a veritate ſubalternantis ad veritatem ſubalternatæ, & a falſitate ſubalternatæ ad falſitatem ſubalternantis: ſed a veritate ſubalternatæ ad veritatem ſubalternantis, & a falſitate ſubalternantis ad falſitatem ſubalternatæ tantum in materia neceſſaria concludere licet.

Contradictoriæ?

3.) *Propoſitiones contradictoriæ* (§. 114.) *neque ſimul veræ, neque ſimul falſæ eſſe poſſunt;* ſi enim primo ſimul veræ eſſent, idem de eodem cum veritate ſimul affirmaretur, & negaretur, adeoque idem ſimul eſſet, & non eſſet, quod fieri nequit ob axioma notiſſimum: *impoſſibile eſt, ut aliquid ſimul ſit, & non ſit;* ſic ſi utraque vera foret: *omnis virtus eſt honeſta, aliqua virtus non eſt honeſta,* tum aliqua virtus eſſet ſimul, & non eſſet honeſta, cum propoſitio univerſalis prædicatum affirmet implicite de ſingulis ſub ſubjecto contentis (§. 106.). Si deinde ſimul falſæ eſſent, tum aliquid ſimul nec eſſet, nec non eſſet, quod repugnat axiomati: *quodlibet*

eſt; *vel non eſt*; ſic ſi falſa eſt hæc: *omnis virtus eſt honeſta*, tunc, aliqua, virtus non eſt honeſta, & ſi iterum falſa eſt hæc: *aliqua virtus non eſt honeſta*, tunc, aliqua virtus non eſt non honeſta, id eſt, *aliqua virtus nec eſſet, nec non eſſet honeſta*: idem clarius patet in duabus ſingularibus, quæ contradictoriis æquipollent (§. cit. cor. 2.); ſit enim utraque vera, *Cicero eſt eloquens, Cicero non eſt eloquens*: erit igitur Cicero ſimul eloquens, & ſimul non eloquens; ſit jam utraque falſa: erit igitur Cicero nec eloquens, nec non eloquens.

Coroll. 1. In omni igitur caſu a veritate unius contradictoriæ ad falſitatem alterius, aut a falſitate unius ad veritatem alterius valet illatio.

Coroll. 2. Ex duabus propoſitionibus contradictoriis, una ſemper eſt determinate, & in ſe vera, altera determinate, & in ſe falſa: & quia idem eſt, ſeu propoſitio ſit de præſenti, ſeu de præterito, ſeu de futuro, datur determinata in ſe veritas de futuris contingentibus; ut; *Cajus evadet eruditus, Cajus non evadet eruditus*, harum alterutra nunc jam, cum enunciatur, quoad ſe determinate vera eſt.

4.) *Propoſitiones contrariæ* (§. 113.) *nunquam poſſunt ſimul eſſe veræ*; ſi enim veræ forent, tunc, cum ſint ſubalternantes, veræ quoque forent earum ſubalternatæ per L. 2. Id vero eſt, quod fieri nequit: nam in hoc caſu, cum una ſubalternata ſit alterius ſubalternantis contradictoria, duæ contradictoriæ fierent ſimul veræ, quod eſt contra L. 3. Sic ſi vera eſſet utraque contraria, *omnis virtus eſt honeſta, nulla virtus eſt honeſta*; veræ etiam forent earum ſubalternatæ: *aliqua virtus eſt honeſta, aliqua virtus non eſt honeſta*; Contrariæ?

 & ſic

& ſic veræ ſimul forent duæ contradictoriæ; nam prima ſubalternata opponitur contradictorie ſecundæ ſubalternanti, & ſecunda ſubalternata primæ ſubalternanti. At vero *poſſunt propoſitiones contrariæ ſimul eſſe falſæ in materia contingente, non tamen in materia neceſſaria*. Ratio primi eſt: quia, quod contingenter tantum ſpeciei convenit, poteſt ineſſe aliquibus individuis, aliis non; unde tam univerſalis affirmativa, quam univerſalis negativa ſimul falſa eſſe poteſt; ſic reipſa falſæ ſunt hæ: *omnis homo eſt eruditus*, *nullus homo eſt eruditus*. Ratio ſecundi eſt: quia, quod integræ ſpeciei neceſſarium eſt, ſingulis quoque individuis ſub ea contentis competere debet; ſic falſæ eſſe nequeunt hæ duæ: *omnis virtus eſt honeſta*, *nulla virtus eſt honeſta*.

Coroll. Igitur in materia neceſſaria rite concluditur ex veritate unius contrariæ ad falſitatem alterius, & a falſitate unius ad veritatem alterius; ſed in materia contingente valet quidem illatio a veritate unius ad falſitatem alterius, non tamen viciſſim a falſitate unius ad veritatem alterius.

Subcontrariæ.

5.) *Propoſitiones ſubcontrariæ* (§. 113.) *numquam poſſunt eſſe ſimul falſæ*; nam cum ſubcontrariæ ſint ſubalternatæ, ſi eæ ſimul eſſent falſæ, falſæ quoque forent earum duæ ſubalternantes per L. 2. atque adeo duæ contradictoriæ forent ſimul falſæ, quod eſt contra L. 3. Sic ſi hæ duæ forent ſimul falſæ; *aliquis homo eſt eruditus*, *aliquis homo non eſt eruditus*; etiam ſimul falſæ eſſent earum ſubalternantes: *omnis homo eſt eruditus*, *nullus homo eſt eruditus*; ſed inter has quatuor duæ ſemper ſibi contradictorie opponuntur (conf. L. 4.), adeoque duæ contradictoriæ forent ſimul falſæ. Sed tamen *vera poſſunt ſimul eſſe in materia contingente*; *non vero in materia ne-*

neceſſaria. Ratio primi eſt: quia prædicatum, quod ſpeciei contingenter convenit, poteſt convenire aliquibus individuis, aliis non; ſic poteſt utraque eſſe vera: *aliquis homo eſt eruditus*, *aliquis homo non eſt eruditus*. Ratio ſecundi eſt: quia, quod neceſſario convenit, vel repugnat toti ſpeciei, neceſſario etiam convenit, vel repugnat omnibus, & ſingulis individuis ſub illa ſpecie comprehenſis; ſic nequeunt ſimul eſſe veræ hæ duæ: *aliqua virtus eſt honeſta*, *aliqua virtus non eſt honeſta*.

Coroll. Igitur in propoſitionibus ſubcontrariis ſemper valet illatio a falſitate unius ad veritatem alterius; ſed a veritate unius ad falſitatem alterius tantum in materia neceſſaria, non in contingente legitime concludo.

CLVII. Ratiocinium *interne*, ſeu *formaliter verum* eſt, cum concluſio ſequitur legitime ex antecedente, id eſt, cum datur conſequentia, ſeu connexio inter conſequens, & antecedens (§. 125.), ſive dein antecedens illud verum ſit, ſive falſum; ut *omne corpus eſt ens compoſitum*; *ſed anima humana eſt corpus*: *ergo anima humana eſt ens compoſitum*. Hac porro conſequentia deficiente illud erit formaliter falſum, ſive deinde ſingula judicia vera ſint, ſive falſa; ut: *aliqua virtus eſt æſtimanda*; *ſed pietas eſt virtus*: *ergo pietas eſt æſtimanda*: vel: *aliquis homo eſt eruditus*; *ſed Cajus eſt aliquis homo*: *ergo Cajus eſt eruditus*. Quid veritas ratiocinii interna?

CLVIII. Ratiocinium *externe* ſeu *objective verum* eſt, cum ſingula ejus judicia objective vera ſunt; ut: *nullum ens ſimplex eſt corpus*; *ſed anima humana eſt ens ſimplex*: *ergo anima humana non eſt corpus*. Quid externa?

Coroll. 1. Ratiocinium igitur formaliter ſimul, & objective verum eſt, quando & ſingulo-

gulorum judiciorum veritas habetur, & conſequens legitimo nexu ex antecedente profluit, quale eſt illud (§. præſ.) allatum.

Coroll. 2. Conferenti (§. 125. & cor.) patebit toties ratiocinium, aut ejus conſequens eſſe objective verum, quoties illud eſt materialiter verum, atque adeo hæc duo pro eodem haberi poſſe.

CLIX. Cum ex vero antecedente falſum conſequens legitime non deducatur (§. 125. cor. 3. can. 1. & 2.), neceſſe eſt, ut quando conſequens ratiocinii eſt objective, ſive materialiter falſum, etiam alterutrum, vel utrumque judicium antecedentis objective falſum ſit; ſic quia in ſuperiori exemplo (§. 157. conſequens: *anima humana eſt ens compoſitum*: objective falſum eſt, falſum quoque eſt aliquod antecedentis judicium, nempe hoc: *anima humana eſt corpus*.

Coroll. 1. In omni ergo ratiocinio formaliter vero valet illatio a veritate objectiva conſequentis ad veritatem objectivam totius antecedentis, id eſt, utriuſque judicii, quo antecedens conſtituitur, & viciſſim; item a falſitate objectiva conſequentis ad falſitatem ſaltem unius judicii in antecedente, ac viciſſim.

Coroll. 2. Inde numquam in ratiocinio legitimo conceſſo jam antecedente negari poteſt conſequens.

Coroll. 3. Cum argumentatio ſit ratiocinatio verbis explicata (§. 127.), adhuc dicta ad eam quoque, & præcipue ad ſyllogiſmum, in quo pariter conceſſis præmiſſis concluſio negari nequit, extendi debent.

CA

CAPUT III.

DE

INDICIIS VERITATIS, CERTITUDINE, ET EVIDENTIA.

CLX. Veritas cogitationum noſtrarum per certa indicia, quæ rationem in ſe continent, cur ea adeſſe intelligatur, ſe manifeſtare ſolet; hæc ſunt *ſufficientia*, ſi nullo in caſu fallant: *inſufficientia* vero, ſi quandoque fallant. Quid; & quotuplex indicium veritatis?

Schol. Cum in inquiſitione veritatis, ad quam tironem philoſophum præſenti hoc labore aptum efficere cupimus, totum denique negotium eo delabitur, ut judiciorum noſtrorum, ſive, quod idem eſt, propoſitionum veritatem detegamus, jam fere de hac ſola in futurum nobis ſermo erit; quæ interea ad veritatem quoque idearum, ac ratiociniorum pertinebunt, facile a quovis dijudicari poterunt.

CLXI. Qui indicia ſufficientia, quæ ſcit nullo in caſu fallere, adeſſe cognoſcit, ita judicat de cogitationis ſuæ veritate, ut ne ſuſpicionem quidem, etſi vellet, de oppoſita eidem falſitate prudenter in animum admittere poſſit, tumque dicitur *certus* eſſe de veritate; ut cum judico: *totum majus eſt ſua parte*. Qui indicia ſolum inſufficientia perſpicit, habet ſe modo oppoſito, eſtque *incertus* de veritate; ut cum judico: *dantur in planetis incolæ*. *Certitudo* igitur eſt affectio quædam, ſive ſtatus mentis ſine omni ſollicitudine, aut formidine de oppoſito veritati per indicia ſufficientia cognitæ adhærentis. Quid certitudo,

Coroll. 1. Cum fieri poſſit, ut unus indiciorum, quæ adſunt, ſufficientiam perſpiciat, alter non; fieri quoque poteſt, ut de eadem veritate unus certus ſit, alter incertus; ſic olim incerti erant de veritate hujus propoſitionis: *dantur antipodes*; nos contra jam certiſſimi ſumus.

Coroll. 2. Affectionem meæ mentis præter me nemo cognoſcit: igitur præter me nemo certitudinis meæ, neque ego alienæ judex eſſe poſſum; cujuslibet proinde conſcientia de ſua certitudine judicat.

& quotuplex? CLXII. Certitudo ex indiciis ſufficientibus orta eſt triplex; vel enim ea indicia ſunt ejuſmodi, ut nullo abſolute in caſu fallere poſſint; vel fallere non poſſunt, quamdiu univerſales naturæ leges obtinent; vel denique ſecundum leges humanæ prudentiæ fallere nequeunt. In primo caſu certitudo habetur *metaphyſica*, ſive *mathematica*; ut in hac propoſitione: *circulus eſt rotundus*: in altero *phyſica*; ut in hac: *corpus non ſuffultum cadit*: in tertio *moralis*; ut in hac: *Cæſar Gallos devicit*.

Schol. Cum communes naturæ leges ab earum auctore Deo immutari poſſint, ut in metaphyſica demonſtratur, non eſt abſolute impoſſibile, ut indicia certitudinem ceteroquin phyſicam habentia quandoque fallant. Verum non eſt propterea certitudo hæc minus vera; adhuc enim omne prudens dubium de oppoſita falſitate excludit, cum aliunde conſtet Deum, qui mundum ſecundum leges univerſales a ſe ſtatutas gubernat, non niſi raro, & ex cauſſis graviſſimis majeſtatem ſuam decentibus miracula patrare, atque illum eo etiam in caſu alia ſuppeditaturum indicia, ex quibus facta legis communis mutatio ſatis manifeſte colligi poſ-

poſſit. Profecto tanta eſt hujus certitudinis firmitas, ut ad eam quotidianas vitæ noſtræ actiones indubitanter conformemus, neque contrarium ſine maximæ inſaniæ nota agere poſſimus; quis enim, exempli cauſſa dictum ſit, ab inſania procul abeſſe eum judicaverit, qui, dum domum quampiam tranſiens tegulam ex tecto decidentem, capitique directe imminentem conſpicit, loco tamen cedere renuat, hoc ductus principio, non eſſe metaphyſice certum, fore, ut tegula lapſum ulterius continuet? Idem cum proportione de altera, quam moralem diximus, certitudine intelligendum eſt; neque enim etiam humanæ prudentiæ aſſenſum ſuadenti prudenter obluctari, aut de veritate dubitare poſſumus, ut contingit, cum factum quoddam hiſtoricum unanimi ſcriptorum teſtimonio confirmatur, vel quando rei oppoſitum rariſſime prorſus, & non ſine ſumma difficultate contingere poteſt; quæ enim raro, & non niſi difficillime eveniunt, ex legibus humanæ prudentiæ ad impoſſibilia referuntur: ſic moraliter certi ſumus, nec prudenter dubitamus de actu ponendo ab homine, qui, ubi multis jam annis valdiſſimum ejuſdem habitum contraxit, rurſus in eam ſe occaſionem immittit, in qua vehementer ad eum actum ponendum allicitur. Utramque vero hanc certitudinem firmitate longe ſuperat metaphyſica; quidquid enim fingas, etſi ad ipſam confugias Dei efficaciſſimam poteſtatem, fieri tamen nequit, ut ejus indicia ullo modo fallant; ſic numquam efficies, *ut circulus non ſit rotundus*, foret enim ſimul, & non foret circulus.

CLXIII. Certitudo (§§. 161. 162.) expoſita refertur ad mentem; & vulgo *formalis* nuncupari ſolet: quod ſi ea, ut nonnullis placet, ad ipſa judicia, ſeu propoſitiones refera- Quid certitudo formalis, & objectiva?

ratur, oritur inde certitudo *objectiva*; quæ tum habetur, cum pro judicii, aut propoſitionis veritate tales pugnant rationes, quæ ſi perſpicerentur, indicia præberent ſufficientia.

SCHOL. Omnis nimirum propoſitio indiciis ſufficientibus inſtructa dicitur *in ſe* vel *quoad ſe*, vel *objective* certa. Sed facile patet, hanc certitudinem, niſi cognoſcatur, nihil prodeſſe, cum igitur ejus accedit cognitio, oritur in nobis certitudo *formalis*, quæ ſolum in vero ſenſu certitudo eſt, ac propoſitio compellatur *quoad nos* vel *ſubjective*, vel *formaliter* certa; ſic propoſitio illa: *dantur antipodes*: etiam fuit olim objective certa, ſed ubi inſtituta navigatione in certam eorum exſiſtentiæ cognitionem pervenimus, effecta eſt *ſubjective*, ſeu *formaliter* certa. Me porro non monente manifeſtum eſt, certitudinem quoque objectivam in triplicem illam claſſem diſtribui poſſe; eſt videlicet propoſitio *metaphyſice certa*, cum abſque contradictione falſa eſſe nequit: ut, *totum eſt majus ſua parte*; *phyſice certa*, cum ſecundum naturæ curſum falſa eſſe haud poteſt: ut *globus ex tormento ejectus confringet murum ſibi oppoſitum*; *moraliter certa*: cum ſecundum humanæ prudentiæ leges falſum ſubeſſe non poteſt: ut *Roma exſiſtit*.

Quid evidentia, CLXIV. Cum indicia veritatis ſufficientia clare, & diſtincte percipiuntur, mens noſtra quodam quaſi lumine colluſtratur, quod illi veritatem ita clare proponit, ut eam quaſi oculis intueatur, nequeatque ullo modo eidem aſſenſum denegare: lumen illud *evidentiam* voco.

Co-

Coroll. 1. Evidentia igitur ſupponit certitudinem, eique ſuo quaſi modo ſuperadditur; atque inde omne judicium, aut propoſitio evidens eſt quoque certa; at non viciſſim omnis certa eſt evidens.

Coroll. 2. Cum evidentia certitudinem comitetur, ea quoque in *metaphyſicam*, *phyſicam*, *& moralem*, ratione ipſius certitudinis habita (§. 161.) diſtribui debet.

Schol. Eadem eſt Tullii opinio, cum perſpicuitatem illud lumen mentis appellat, „ quod „ per ſe ſe ea, quæ ſint, nobis ita, ut ſint, „ indicat. „ Eſt nimirum evidentia menti ferè id, quod lumen ſolis eſt oculis; uti deſtituti lumine in tenebris verſamur, ita ſublata evidentia caligo menti offunditur, & ſicut apertis oculis objectum a ſole illuminatum, atque ante eos poſitum neceſſario, modo animus majori ad alia attentione non diſtrahatur, videmus; nec niſi clauſis, aut averſis ab eo oculis id impedire poſſumus, ita mente ad evidentiam applicata neceſſario rapimur, neque aſſenſum, niſi intellectu ad alia converſo, negare poſſumus.

CLXV. Cum mens hoc lumine colluſtrata veritatem perſpicit, conſequens eſt, ut eidem convenientia, aut repugnantia prædicati cum ſubjecto quam clariſſime reluceat: duplici id modo contingit; vel enim ex ſola comparatione, unicoque quaſi intuitu pateſit ideam prædicati contineri in idea ſubjecti, aut ab ea excludi; ut in his judiciis: *circulus eſt rotundus*; *ens ſimplex non eſt corruptibile*: tumque habetur evidentia *immediata*: vel in idea ſubjecti diſtincte perſpicitur ratio, ob quam eidem idea prædicati certiſſime vel conveniat vel repugnet; ut in hoc judicio: *anima humana eſt incorruptibilis*; in idea enim animæ humanæ continetur *ſimplicitas*, quæ eſt ratio in- & quotuplex?

invicta, cur rei competat *incorruptibilitas*; tumque adeſt evidentia *mediata*.

Schol. Inde quoque propoſitio alia eſt *immediate* evidens, cum videlicet intellectis ſolum terminis clare, & diſtincte cognoſcitur eſſe vera, ut ſunt omnia axiomata; e. c. *totum eſt majus ſua parte*: alia *mediate* evidens; quæ mediante quadam ratione, ſive, ut ajunt, medio termino, evidentiam obtinet: ut hæc: *anima eſt incorruptibilis*, ubi ejus ſimplicitas fuerit evicta (conf. §. 115.)

An ea in propoſitionibus falſis?

CLXVI. *Evidentia non reperitur in propoſitionibus falſis*: Evidentia non datur, niſi in propoſitionibus certis (§. 164. cor. 1.); certæ autem propoſitiones nec ſunt, nec umquam poſſunt eſſe falſæ (§. 163. ſchol.): igitur evidentia non reperitur in propoſitionibus falſis.

Schol. Veritas hujus theorematis ex eo quoque patet, quod falſitas, cum mera ſit veritatis negatio, ſive carentia, ſi ita loqui liceat (§ 147. cor. 3.), nihilum ſit; omne autem, quod evidenter perſpicitur, neceſſario ſit aliquid. Quid quod, ſi propoſitiones evidentes ullo in caſu falſæ eſſe poſſent, ſaltem quandoque inter eas repugnantia deprehenderetur, qualis frequentiſſime inter obſcuras occurrit; at vero evidentia evidentibus ſemper ſunt conſentanea, hominumque actiones, experimenta, & artium regulæ, quæ evidentia reguntur, conſtanter rite procedunt, ut quotidiana docet experientia. Brevitatem quidem, ac imbecillitatem mentis noſtræ cauſſantur nonnulli, eaque putant effici poſſe, ut ab ipſa quandoque evidentia in errorem inducamur: verum inde quidem fit, ut non omnia, aut plura ſimul evidenter percipiamus, non tamen, ut vel

Solvitur dubium.

pror-

prorſus nihil evidenter perſpiciamus, vel ut ea etiam falſa ſint, quæ evidenter percipimus, quemadmodum fere imbecilla oculorum noſtrorum acies in cauſſa eſt, ut valde diſtantia, aut minuta nimis objecta non videamus; non vero, ut nihil cernamus, aut ut de iis dubitemus, quæ, cum debitam habeant comparate ad oculum poſitionem, clare videmus. Cum igitur prælucente evidentia numquam erremus, neceſſe eſt, ut ſpurio quodam lumine, falſoque ſplendore deludantur ii, qui, quando quidpiam quam maxime perſpicuum eſſe autumant, in errores tamen prolabuntur. Evidentiam eo caſu ſolum *apparentem* adeſſe dicimus, quæ, cum reapſe nulla ſit, idoneum veritatis teſtem agere nequaquam poteſt. Contigit id Malebranchio, qui adeo evidenter ſe cognoviſſe putavit, nos omnia in Deo videre, ut aſſeruerit, malle ſe vocari fanaticum, quam de ſententia decedere; contigit id Carteſio, qui manifeſtam in vacuo repugnantiam evidenter deprehendiſſe ſibi viſus eſt; contigit Leibnitio, ac VVolfio, dum maximam mundi hujus perfectionem demonſtrarunt; contigit id denique compluribus aliis, ceteroquin doctiſſimis viris, iis præſertim qui vel de quadratura circuli, vel mobili perpetuo ab ſe perſpicue invento gloriati ſunt. Verum hæc nos eo abripere non debent, ut in ſcepticiſmum delabamur, atque cum Academicis pronunciemus: falſa ita eſſe finitima veris, ut ne per evidentiam quidem rite diſcerni queant. Quin potius eo curæ noſtræ dirigantur, oportet, ut certos, conſtanteſque characteres, qui omni in caſu evidentiam *veram* ab *apparente* diſcernant, detegamus. Hanc in rem ſequentes tironi philoſopho ſuppeditamus.

Quid evidentia apparens?

Cic. qq. acad. l. 2.

Cha-

Characteres veræ Evidentiæ.

1.) *Vera evidentia longe vivacius nos afficit, fortiuſque in aſſenſum rapit, ac apparens, quacum major perpetuo obſcuritas conjuncta eſt.* Equidem non diffiteor, etiam per evidentiam veram nos non ſemper cognoſcere objectum omni ea claritate, qua illud in ſe cognoſcibile foret; unde hoc ſenſu omnem evidentiam quæpiam obſcuritas comitatur. At hoc non efficit, quo minus ipſam prædicati cum ſubjecto convenientiam clariſſime perſpiciamus, menſque attenta eo in lumine prorſus conquieſcat; haud aliter fere, ac ut nobis objecta diverſimode a ſole illuminata conſpicientibus obtingit; non enim minus vere cernimus objectum ſole oriente, quam eo in meridie conſtituto, licet tum illud minori longe cum claritate nobis repræſentetur. Evidentia contra apparens in ipſa idearum convenientia exhibenda obſcuritatem præ ſe fert, neque umquam menti accurate rem expendenti penitus ſatisfacit.

2.) *Veræ evidentiæ claritas menti tranquillæ atque ab affectionibus perpurgatæ ſemper apparet eadem*; fucatus contra evidentiæ apparentis ſplendor examen ſæpius repetitum haud ſuſtinet; mutatur enim, minuitur, ac evaneſcit etiam, ubi rem frequentius, atque diverſa ex parte contemplamur, non ſecus ac colores illi, qui pro mutato oculi verſus objectum ſitu aut variantur, aut prorſus diſparent.

3.) *Evidentia vera eadem quoque eſt omnibus doctioribus, eaque in arte verſatis, ſi modo attentum præbeant animum.* Haud quidem negavero, poſſe nonnumquam eamdem propoſitionem uni, non item alteri, eſſe evidentem; ſed id tum ſolum contingit, cum aut termini

ni ipſi, aut rationes invictæ defectu attentionis debitæ, quam præpotentes animi affectiones, præjudicia, aliæque cauſſæ ſæpius impediunt, non ſatis perſpiciuntur; ubi vero requiſita adfuerit attentio, evidentia vera ſanum cujuſvis intellectum perſtringere, atque occulta quadam vi in aſſenſum inclinare debet. Contrarium accidit apparenti ſolum evidentiæ; neque enim vanus ſplendor compluribus aut poteſt, aut ſolet idem videri; id quod tanta diſcordia, quam in eruditorum circa res nondum evidentes judiciis quotidie experimur, ſatis comprobat.

4.) *Evidentia vera numquam præbet fundamentum falſæ concluſionis inde legitime deducendæ;* cum enim evidentia vera non detur, niſi in propoſitionibus veris (§.166.); ex vero autem falſum legitime non ſequatur (§. 125. cor. 3.), patet propoſitum. Quare ſi ex propoſitione, quæ tibi evidens videtur, nihil abſurdi aut a te, aut ab aliis umquam deduci poſſe clare, & diſtincte appareat, eam evidentiam veriſſimam putato.

CLXVII. Veritas eſt vel interna tantum, vel etiam externa (§. 149.); de utraque certitudinem, ac evidentiam conſequi poſſumus: igitur neceſſe eſt, ut dentur utriuſque indicia ſufficientia: Ea proinde duplicis ſunt generis, alia nimirum de mera objecti poſſibilitate, aut ejuſdem etiam intra nos exſiſtentia: alia de reali objecti extra nos exſiſtentia nos certos efficiunt. Quæ indicia veritatis internæ, & externæ?

Schol. Indicia ſufficientia univerſim omnia; ſive, ut ajebant, omne veritatis *criterium* olim ſuſtulerunt Academici, & qui dein errorem hunc ad inſaniam uſque provexerunt, Pyrrhonici, hoc unum hominibus certum eſſe contendentes: *nihil eſſe certum*. At vero doctrina hæc adeo per ſe abſurda eſt, ut non

tam

tam refutatione, quam medico egere videatur; quid enim? ſi ſceptici hoc axioma: *nihil certum eſt*: indubitanter ut verum aſſumunt; ſi aliarum ſectarum dogmata ut falſa coarguunt, vel habent criterium quodpiam, per quod hic falſitatem a veritate, ibi veritatem a falſitate diſcernant, vel non? Si primum: tollendo criterium illud, ſtabiliunt, ac propterea manifeſtæ contradictionis rei tenentur; ſi alterum: impudentiſſimæ audaciæ notam haud effugiunt, cum ea præfracte jactitent, quæ adſtruendi omni prorſus ratione deſtituuntur. Hiſtoriam ſcepticiſmi copioſe, ac erudite pertractavit Gaſſendus. Sed miſſis his (neque enim logicam inaniter contentioſam ad Stoicorum, aut Peripateticorum normam conſcribendi animus eſt) indicia ſufficientia quæcumque ad hæc quatuor veriſſime reduci autumo; ad *ſenſum* videlicet *intimum*, *ſenſum naturæ communem*, *teſtimonium ſenſuum externorum*, *auctoritatem* denique *Dei*, *hominumque*, quorum primum veritati internæ; reliqua vero externæ infallibiliter detegendæ inſerviunt: de his jam ordine agam, ſequarque hac in re mentem Cl. P. Buffier, ex cujus præſtantiſſima de primis veritatibus doctrina in commodum tironum, quorum egregiis hiſce principiis ſolide imbui quam maxime intereſt, complura deſumam. Si quis diſſentire velit, atque ad inanes de verbis contentiones deflectere, non morabor, id ſolum peto, ut pacato animo, ac veritatis unice ſtudioſo, poſitiſque omnibus anticipatis opinionibus ſerio conſcientiam ſuam conſulat, diſpiciatque attente, quid illud ſit, propter quod de aliquorum judiciorum veritate prorſus non dubitet? Næ is ſemper unum ex his indiciis, neque ullum umquam aliud, quod ad ea reduci nequeat, adeſſe deprehendet.

CA-

CAPUT IV.

DE
SENSU INTIMO, ET SENSU NATURÆ COMMUNI.

CLXVIII. *Senſus intimus eſt indicium ſufficiens veritatis internæ*; nequit enim ullo in caſu fallere. Per ſenſum quippe intimum percipimus convenientiam, ſive repugnantiam idearum inter ſe, exſiſtentiam, actualeſque mentis noſtræ affectiones (§. 73.), atque adeo id, quod nobis intime præſens eſt, & quidem ea evidentiæ claritate, ut majoris per naturam noſtram ne capaces quidem ſimus; nihil enim datur, quod nos propius, certius, ac efficacius convincat de convenientia cogitationis noſtræ cum ſuo objecto: ipſum ſiquidem objectum, noſtraque cogitatio, atque ſenſus hic intimus, quem de ea habemus, aliud reipſa non ſunt, quam noſmet ipſi, qui cogitamus, exſiſtimus, atque intimum ejus ſenſum habemus. Jam vero qui fieri queat, ut in iis fallamur, quæ tanto nobis ſplendore ſeſe manifeſtant? Eſt profecto id ita cujuſvis menti impreſſum, ita per ſe clarum, ut quidquid in confirmationem adduci poſſet, non tam ad declarandum, quam ad obſcurandum ſerviret; quærat quiſpiam rem ipſo ſolis lumine clariorem, næ is denſiſſimis ſeſe tenebris involvet.

Senſus intimus quale veritatis indicium?

Coroll. Per ſenſum igitur intimum a nobis evidenter cognoſcitur veritas propoſitionum univerſalium per ſe evidentium, ſeu axiomatum abſtractorum, quale eſt illud: *impoſſibile*

eſt

eſt idem ſimul eſſe, & non eſſe; cum in his nihil conſideretur præter convenientiam idearum, id eſt, actionum noſtrarum; eorum item, quæ in anima noſtra contingunt, ut eam exiſtere, cogitare, dolere, lætari, libertate pollere &c. Et denique eorum, quæ ex his legitima demonſtratione deducuntur, ut ſunt concluſiones pure geometricæ, ac metaphyſicæ; quin in his omnibus ullum reſpectum ad realem objecti extra mentem noſtram exſiſtentiam habeamus.

Schol. Qui nullam aliam evidentiam, præterquam eam, quæ in ſenſu intimo fundatur, admittunt, eumque hac de cauſſa unicum omnis veritatis criterium eſſe autumant, coguntur, ſi ſibi concordes eſſe velint, omnem certitudinem evidentem eorum negare, quæ nec in ſe experiuntur, nec ex interna experientia legitimo ratiocinio concludunt. Jam vero ſunt quam plurima præterea quorum evidentiam nemo ullus, qui quidem ſana ratione utatur, in dubium vocare queat. Inveſtiganda igitur nobis ſunt indicia ſufficientia veritatis externæ, quorum nimirum ope de reali objecti extra nos exſiſtentia judicia certa, ac evidentia conformare liceat, & præcipuo quidem loco de iis, quæ maxime ad nos attinent, atque ad uſum, vitæque noſtræ rationes cumprimis neceſſaria ſunt.

Quid ſenſus naturæ communis?

CLXIX. *Senſus naturæ communis* eſt quædam animi comparatio ipſius naturæ habitu cunctis hominibus indita, per quam illi rationis uſum conſecuti circa res quaſdam, quæ non ſunt objecta ſenſus intimi, quæque ſub omnium captum, atque intelligentiam cadunt, commune, & in univerſum conſentiens, atque a nullo alio principio pendens judicium ferant; ejuſmodi judicia ſunt: *exſiſtunt præter me alii homines in mundo: omnes homi-*

homines non conſpirant ad me fallendum, & decipiendum, in iis, quæ concordi judicio aſſerunt: ex fortuito partium concurſu non poteſt exſurgere totum aliquod ordinatum, quod conſtantes, ac determinatos motus edat.

CLXX. *Exſiſtit ſenſus naturæ communis;* cum enim, experientia perpetua omnium sæculorum id conteſtante, deprehendantur inter homines, ceteroquin ætate, genio, temperamento, educatione, affectionibus, moribuſque inter ſe infinitis prope modis diſcrepantes, judicia quædam conſtanter conſentientia de rebus compluribus, quæ ſenſu intimo non percipiunt, etſi reliqua eorum judicia ſint diverſiſſima, neceſſe prorſus eſt, ut ſit commune quoddam omnibus principium, in quo ea innitantur; univerſim enim quivis effectus generalis generalem quoque cauſſam requirit, ſicut ab oppoſito ex diverſitate effectuum diverſitatem cauſſarum, & ex diverſitate judiciorum diverſitatem quoque principiorum rite colligimus. Jam vero quod poteſt aliud eſſe, vel cogitari commune omnibus hominibus principium, niſi natura rationalis, ob quam ſunt, & dicuntur homines? Licet enim naturæ diverſorum hominum in quam plurimis differant, ut fere eorum facies, ſemper tamen in eſſentialibus, quæ naturam nimirum humanam, & rationalem conſtituunt, perfecte conveniunt, ut iterum diverſæ hominum facies in præcipuis partibus haud diſcrepant: exſtat igitur principium quoddam in ipſa natura humana, & rationali fundatum, id eſt, quædam animi comparatio, ſeu propenſio naturalis, ex qua ejuſmodi judicia omnibus communia proficiſcuntur. Et profecto ſine hac potior hominum pars deficientibus principiis, ſive neceſſariis adjumentis nullum judicium verum, ac certum ferre poſſet de rebus extra ſe exſiſtentibus,

An exſtat?

tibus, quæ tamen ad vitæ conſuetudinem apprime ſunt neceſſariæ; quod qui aſſerit, aſſerat quoque, neceſſe eſt, maximam hominum rationalium partem ratione, actionumque uſu deſtitui.

Schol. Etſi vero hæc naturalis animi propenſio ad rite de objectis quibuſdam judicandum omnibus hominibus indita eſt, non tamen in omnibus incorrupta permanet; cum enim homines libertate polleant, fieri poteſt, ut quis diſtortis animi affectionibus nimium indulgendo contrarios habitus contrahat, ſuamque naturam magnopere depravet; atque inde fit, ut numquam fere omnes prorſus homines in idem judicium conſpirent, neque ſit opinio quantumcumque abſurda, quæ non aliquos ſaltem fautores nacta fuiſſet. At vero nemo propterea inferat conſentiens ceterorum plurium, atque magis proborum judicium non eſſe naturale; ſenſus enim hic naturæ, qui nos ad recte judicandum impellit, conferri debet cum alio naturæ ſenſu, qui nos ad amandum, ac deſiderandum incitat: profecto quis negaverit naturalem eſſe parentum in proles ſuas amorem? Interea tamen novimus parentes fuiſſe, in quibus ſenſus hic naturalis prorſus ſuppreſſus, ac exſtinctus fuit. Ita igitur non minus commune quoque plurimorum in unum conſentiens judicium inter naturalia reponi debet, tametſi nonnulli ab eo diſſentiant. Quamvis videlicet natura regulariter, & ordinate in ſuis operibus procedere ſoleat, poſſunt tamen ea quandoque deformia, & ex parte imperfecta eſſe; & ſicut in corporibus nonnumquam monſtra, & abortus deprehendimus, ita pariter monſtra ſubinde, & animorum abortus inveniuntur, quæ tamen non tam naturæ tribuenda ſunt, quam ipſis hominibus, qui ob perverſum libertatis uſum lumen illud a natu-

ra inſitum exſtinguunt, ac frena pravis affectionibus laxando propria culpa in monſtra degenerant. Porro depravationis hujus præcipuos fontes detegere non erit inutile.

Fontes corrupti Communis naturæ Senſus.

1.) *Cupiditas quæpiam ſciendi inordinata*; ac juſtos ultra limites provecta, quæ nos impellit, ut curioſius ea perſcrutemur, quæ mentis humanæ captum longe excedunt; unde conſequitur, ut tenebris, ac obſcuritatibus involuti, omniſque ductu luminis privati in graviſſimos errores cæcorum inſtar prolabamur.

2.) *Vanitas quædam ridicula, inaniſque gloria ſtudium*, quo fit, ut ab aliis, ac præcipue quidem ab indocto vulgo diſcerni cupiamus: inde a judiciis communius receptis diſceſſionem facimus, aliterque de rebus omnium captui expoſitis, quam vulgus ſoleat, pronunciamus; ſimul vero, dum elatione animi aliorum ſenſa rejicimus, communem naturæ ſenſum repudiamus.

3.) *Inſita quædam jam a te menti opinio*; & fortuita quaſi adhæſio ad ſectam quampiam, quæ ſe novitate, falſoque doctrinæ, ac veritatis ſplendore aliquo tempore commendat; cujus rei exemplo Academici olim & Sceptici fuerunt. Cum enim ſe ſolos ſæculi ſui eruditos, ceterorumque magiſtros jactarent, omnes ab ea doctrina alienos ſuperbe præ ſe deſpiciebant, & quaſi commiſeratione dignos intuebantur, ab iiſdem ipſis interea jure merito deriſi.

4.) *Studium proprii commodi*, quod frequenter, repudiato communi naturæ ſenſu, nos reperturos ſperamus; ſunt nimirum veritates quædam in ſenſu naturæ fundatæ hominibus voluptatum ſtudioſis per quam moleſtæ, pro-

pterea quod, ſi iiſdem aſſentirentur; ex earum præſcripto vitæ ſuæ rationes inſtituere, moreſque etiam ſuos ad eas conformare cogerentur; quare, ut graviſſimum hoc ab humeris ſuis jugum avertant, veritatem etiam clariſſimam contra communem omnium fere hominum conſenſionem agnoſcere nolunt. Ita
De nat. Deor. l. 1. olim Epicureus ille apud Tullium adverſus Dei providentiam depugnavit: „ Impoſuiſtis „ in cervicibus noſtris ſempiternum domi-„ num, quem dies, & noctes timeremus. „ Habet quippe voluntas ingens in intellectum imperium, eoque frequenter efficit, ut rejectis veritatibus evidentiſſimis opiniones quam maxime abſurdas, præſertim ſi ſuavem ſenſui voluptatem polliceantur, ambabus quaſi ulnis amplectatur.

An umquam fallit? CLXXI. *Senſus naturæ communis numquam fallit;* cum enim hæc animi comparatio, ſeu propenſio ad judicandum de rebus quibuſdam, quando eæ menti debite proponuntur, fundetur in natura rationali, ſi ea umquam falleret, ipſa natura rationalis nos per ſeſe in errorem induceret; atqui hoc fieri nequaquam poteſt: foret quippe eo in caſu natura rationalis, eodemque tempore non rationalis, quod contradictionem implicat; rationalis quidem; eſt namque natura humana, quam qui ratione expoliat, hominem belluis æquiparat: non rationalis vero; cum enim error rationi, rationique errori adverſetur, neceſſe eſt, ut ea, quæ nos per ſeſe in falſum judicium impellit, natura ratione careat. Eſt hæc veritas omnium fere antiquorum philoſophorum ſuffragio confirmata; audi Tullium, omni au-
Qq. tuſc. l. 1. c. 13. tem in re conſenſus omnium gentium lex naturæ putanda eſt. „ Multa dare ſolemus, in-
Ep. 17. „ quit Seneca, præſumtioni omnium homi-„ num: apud nos veritatis argumentum eſt, „ aliquid omnibus videri. „

Co-

Coroll. Nullum igitur judicium, ad quod formandum a ſenſu communi inducimur, ullo in caſu poteſt eſſe falſum, atque adeo fieri nequit, ut quis vere judicet de re, quæ ſub omnium intelligentiam æqualiter cadit, quando a communi plurimorum ſana ratione utentium judicio diſſentit; aut comprobet, neceſſe eſt, in ſe ſolum, ac in parvo ipſi ſimilium manipulo reſidere naturam rationalem, reliquis vero omnibus, ac proinde toti fere generi humano eamdem deeſſe.

Schol. i. Profecto ut tanta in diverſis hominibus circa res quam plurimas judiciorum diverſitas non poteſt non eſſe evidens falſitatis character; ita ab oppoſito in ipſa hac ingeniorum, affectionumque diverſitate perpetuus omnium, aut fere omnium in idem judicium conſenſus ſumma cum ratione pro certiſſima veritatis nota accipiendus eſt, quique eam reſpuit, ab inſania procul abeſſe non poteſt. Veritati huic, poſita jam Dei exſiſtentis demonſtratione, maximum inde robur accedit, quod hæc naturalis animi comparatio non provenire queat, niſi ab ipſo naturæ auctore, cujus veriloquio, providentiæ, & bonitati nullo pacto congruit, ut eas nobis facultates naturales indat, quibus etiam bene utentes directe in errorem impellamur; talis enim error in ipſum redundaret, ipſeque nos fallere dicendus foret, quod vel cogitare abſurdiſſimum eſt. Ex his manifeſte conficitur, judicia ex ſenſu communi profecta non minus certa eſſe, atque ea, quæ ex ſenſu intimo feruntur: eſt tamen inter illa nonnullum evidentiæ diſcrimen; hæc quippe evidentia claritatis maximæ pollent (§. 168.), ut ne umbram quidem dubii admittant, quod de illis ex vero dici nequit; cum enim judicia in ſenſu communi fundata reſpiciant, objecta extra nos exſiſtentia, non poſſunt vivacem adeo in nobis impreſſio-

nem efficere, ut illa, quorum objectum ipſum intra nos exſiſtit. Inde tamen nemo inferat, judicia ſenſus communis non eſſe vero ſenſu evidentia: nam æque naturaliter, infallibiliter, & neceſſario intellectum ad conſenſum determinant, minorque ejuſdem luminis vivacitas efficit ſolum, ut objectum minus clare; non autem, ut minus vere, ac realiter cernatur. Æque proinde inſipientium in numero collocari meretur, qui judicia ſenſus communis ſerio negare, aut in dubium trahere tentat, atque is, qui judiciis e ſenſu intimo profectis aſſenſum abnuere præſumit, hoc ſolum diſcrimine; quod hic a ſe ipſo quodam modo diſcedere; ille vero rationi, ipſique naturæ rationali renunciare cenſendus foret.

Quomodo objectionibus occurendum? Schol. 2. Verum adhuc diſputata non omnibus omnino probantur; contendunt enim nonnulli, complura judicia omnibus fere hominibus communia falſa fuiſſe, ac erronea; cujuſmodi fuerunt de polytheiſmo, in quem omnes olim nationes, excepta ſolum Judaica, conſpirarunt: de motu ſolis annuo circa tellurem; de non exſiſtentia antipodum; & denique, nonne ajunt, commune fere omnium hominum judicium eſt ſolis diametrum vix duos pedes æquare, ac niſi a philoſophis contrarium evidenter demonſtraretur, omnes ad unum homines ſibi relicti id firmiſſime judicarent? At vero hæc, & ſimilia judicia ex ſenſu naturæ communi profecta eſſe vehementer nego; nam ut ab eo, quod poſtremum eſt, exordiar, hunc eſse ſenſum communem eorum, qui, ut de magnitudine ſolis judicium ferant, idonei ſunt, aperte falſum eſt. Etenim quis eſt etiam de rudiſſima plebe, qui hac in re non philoſophorum potius, ac aſtronomorum, quam ſuorum occulorum teſtimonio fidem habeat? Quis umquam ſeria mente affirmavit, ſolis diametrum ſine ratione 2. pedibus.

bus majorem haberi ? Aut fingamus fuiſſe ta-
lem: an non uno quaſi momento errorem de-
doceri potuiſſet provocando ad experientiam,
qua certiſſime conſtat, objectum quodcumque
pro ratione majoris diſtantiæ minus apparere ?
Profecto vel imperitiſſimus novit plerumque
ſuis ſe oculis de vera rerum magnitudine de-
cipi; quare quo tempore abſque conſideratione
cenſet ſolis diametrum duos duntaxat pedes
complecti, ita ſimul comparatus eſt animo, ut
tantilla attentione accedente in contrariam par-
tem judicando abeat, priuſque judicium erro-
ris condemnet: illud igitur primum judicium
non proficiſcitur ex ſenſu naturæ communi,
cum evidenter erroris convincatur, per ipſum
communem, & puriorem quaſi naturæ ratio-
nalis ſenſum, qui per attentionem paullo ac-
curatiorem obtinetur. Atque idem ſentiendum
eſt de reliquis erroribus popularibus, qui ra-
tiocinii non adeo ſublimis, aut notæ alioquin
experientiæ ope nullo prorſus negotio refutan-
tur, ut polytheiſmo contingit, qui longe cla-
riori, ac evidentiori ratione ad rudium etiam
captum refelli poteſt; quamquam & is non u-
bique receptus fuerit, & ubi viguit, conſocia-
tus erat cum aliqua notitia unius, ſupremi,
& præpotentis Dei, Deorum, hominumque
parentis, ut ſuo loco in metaphyſica demon-
ſtratur.

Addunt deinde axioma pervulgatum, *veri-
tatem non eſſe in multitudine quærendam*,
vel cum Cotta quærunt, *num res tantas opi-
nione ſtultorum placeat judicari*? Sed his alio
quoque axiomate occurri poteſt, videlicet: *vox
populi, vox Dei*. Ut igitur ſuperiori dicto ſua
conſtet veritas, id ita accipiendum eſt, ut in-
telligatur ea veritas, ad cujus inveſtigationem
ſingularis attentio, major ingenii vis, diffici-
lius ratiocinium, aut exquiſita experimenta re-
quiruntur, quæ omnia utique fruſtra in mul-

Cic. de nat. D. l. 3. c. 4.

titudine deſiderantur. At veritas, quæ ſola mentis applicatione, abſque longiori ratiocinatione cognoſci poteſt, æque in vulgo, ſi is naturæ ductum ſequatur, quam in ſapientiſſimo quovis philoſopho reſidere poteſt: judicia proinde vulgi in ſenſu naturæ fundata nequaquam inter ſtultorum opiniones, ut diſputationis gratia contendit Cotta, referri poſſunt. Denique, ut ſimilibus objectis penitus ſatisfiat, rite advertendum eſt, non agi hic de quacumque hominum ſingularium, ſed de ipſa naturæ humanæ, ac rationalis auctoritate, neque hanc per qualemcumque majoris hominum partis in aliquod judicium conſenſionem, ſed per eam ſolum, quæ ex ipſa naturali propenſione omnibus indita proficiſcitur, conſtitui: quare philoſophi quam maxime intereſt, noſſe ea, quorum ope duplicem hanc hominum conſenſionem accurate diſcernere queat; eam in rem ſequentes ei ſuppeditamus.

Characteres Conſenſionis in ſenſu naturæ fundatæ.

I.) Conſenſio ex ſenſu naturæ communi proficiſcitur, *ſi nullam habeat aliam originem, quam quæ eſt ipſius naturæ*, ac ſponte prorſus, & naturaliter, ſine ulla inſtitutione, ac doctrina in hominum animis exoriatur; ſic *Dei exſiſtentiæ*, *religioniſque naturalis* nullam cauſſam, niſi naturam, nullum initium, niſi naturæ originem deprehendimus: „ nec enim id collocutio hominum, aut conſenſus „ efficit, non inſtitutis opinio eſt confirma- „ ta, non legibus „ contra *polytheiſmi*, *divinationis* cauſſas, initia, progreſſus obſcure ſaltem novimus; novimus item, ex quo principio orta ſint illa judicia: *ſolem motu annuo circa tellurem moveri; non dari antipodes*: illud nempe ex ſenſuum apparentia, quæ, niſi

Cic. qq. tuſc. l. I. c. 13.

ſpe-

ſpeciali animi attentione vulgi captum potiſſimum ſuperante corrigatur, frequenter in errorem inducit; hoc: quod præjudicio quodam abrepti intelligere non potuerint, quomodo homines, qui ob gravitatem ſuam conſtanter deorſum tendunt, in inferiore telluris parte hærere, & ambulare poſſint.

2.) *Si ea conſenſio ſit univerſalis, ac per omnes omnino nationes diffuſa*, non obſtante temporum, ac locorum diverſitate, ingeniorum, ac morum repugnantia, propriorum etiam commodorum oppoſitione; unde Cicero: „ firmiſſimum hoc argumentum afferi videtur, cur Deos eſſe credamus, quod nulla gens tam fera, nemo omnium tam ſit immanis, cujus mentem non imbuerit Deorum opinio. „ Item, nulla gens eſt, neque tam immanſueta, neque tam fera, quæ non, etiamſi ignoret qualem Deum habere deceat, tamen habendum ſciat. „ Id ſi obtineat, haud oberit, ſi in quavis etiam natione nonnulli diſſentiant, ſi modo ii, qui reliquos aut doctrinæ præſtantia, aut morum probitate antecellunt, præ reliquis quoque eidem judicio firmius adhæreant; quid enim natura doceat, ex ea deſumi debet, quæ minimum a naturali ſua perfectione receſſit. L. 1. De leg. l. 1. c. 8.

3.) *Si judicium communi conſenſione fuerit receptum, & retentum ſine ſpeciali ſecta cujuſdam commodo*, neque impugnatum, niſi ab eo, qui palam præjudicatis opinionibus, ac ſiniſtris affectionibus agitur, aut principia alias jam a ſe ſtabilita, quibuſcumque ſumtibus, pertinaciter defendere conſtituit, opponentibus ſeſe illico omni ex parte melioris notæ ſapientibus.

4.) *Si ſenſus ille ſit connexus cum aliis veritatibus certis, ac ab ipſa natura dictatis*; tamque alte animo infixus, ut nulla vel induſtria, vel violentia prorſus exſtirpari queat,

quin indentidem etiam invito redeat ,, actionesque hominis quotidianas ,, ceſſante ſaltem affectionum tumultu ,, clam dirigat ,, ac gubernet.

5.) *Si ſenſus ille procedente tempore , creſcente litterarum , morumque cultura creſcat , roboratur ampliuſque inter homines diffunditur,* veriſſimum enim eſt id ,, quod ait Tullius De nat. D. l. 2. c. 2. ,, id niſi cognitum , comprehenſumque animis ,, haberemus , non tam ſtabilis opinio permaneret , nec confirmaretur diuturnitate temporis , nec una cum ſæculis , ætatibuſque hominum inveterare potuiſſet. Etenim videmus ceteras opiniones fictas , atque vanas diuturnitate extabuiſſe ; quis enim hyppocentaurum fuiſſe , aut chimæram putat ? opinionum enim commenta delet dies , naturæ judicia confirmat ,,.

An ſenſus communis indicium veritatis ſufficiens ? CLXXII. *Senſus naturæ communis eſt indicium ſufficiens veritatis externæ.* Etenim ſenſus hic numquam fallit (§. 171.) ; ejuſmodi vero indicium veritatis eſt ſufficiens (§. 160.) : igitur ſenſus naturæ communis eſt indicium ſufficiens veritatis , non internæ (§§. 168. 169.) : ergo externæ (§. 148.).

Quod objectum ſenſus communis ? Schol. 1. Senſum naturæ communem dico indicium ſufficiens veritatis externæ ; non enim exſiſtentia alicujus objecti extra nos ſatis demonſtratur per ſolam idearum , quæ intra nos ſunt , convenientiam , ſive per nudam exſiſtendi poſſibilitatem ſenſu intimo cognitam ; ſed ſolum legitime concluditur ex ſenſu , quem natura omnibus hominibus indidit ad formandum tale circa eam judicium. At quæret aliquis ; omneſne ergo veritates externæ ſenſu communi decidendæ erunt ? Cui reſpondemus , videri quidem omnes ultimo ad eum tandem reducendas eſſe , cum ipſum ſenſuum externorum teſtimonium , hominumque auctoritas , de

qui-

quibus paullo poſt agetur, omne ſuum robur, ac pondus ab eo mutuentur; interea tamen illa ſolum proprie dicuntur *objecta* eſſe ſenſus communis, ad quæ nos natura instituit, lumineque ſuo dijudicanda proxime dirigit. Sunt nimirum veritates quæpiam externæ ita alte animo impreſſæ, ut citra maximam mentis aberrationem negari a nobis, aut in controverſiam vocari nequeant; quæ, licet per ſenſum intimum non reluceant, adeo tamen obviæ ſunt, ut nullo prorſus ſublimi ratiocinio egeant, ſed prona plane concluſione a quovis etiam rudiori, modo ſana utatur ratione, facillime formanda deprehendantur; quæ denique ad humanæ vitæ uſum, & conſuetudinem, ad morum quoque honeſtatem vel apprime neceſſariæ ſunt, vel ſaltem proximam cum iis connexionem habent. Ejuſmodi judicia ſunt: *dantur præter me in mundo alia entia, & præcipue homines, qualis ego ſum: exſiſtit aliquod ens ſupremum, cujus providentia tota hæc rerum univerſitas ſapientiſſime gubernatur: Numen ſupremum aliqua religione coli debet: datur poſt hanc vitam alia, in qua juſta erit repræſentatio præmiorum & pœnarum* &c. &c. Quæ talia non ſunt, quæque, quod ſublimiorem exigunt ratiocinationem, inter ea referri nequeunt, ad quæ proxime a natura ordinamur, ſenſu communi dijudicari non poſſunt; qualia ſunt ea, quæ ſupra attulimus *de motu, ac magnitudine ſolis; de incolis* in America, & his ſimilia.

Schol. 2. Reſtat ad extremum eximendus ſcrupulus iis, qui ſenſum naturæ communem de ſubſellio iudiciorum veritatis ſufficientium ideo ſolum deturbant, quod putent, fieri non poſſe, ut iis umquam certo, ac infallibiliter detegatur; qui enim, ajunt, fieri poteſt, ut ſciamus, quid circa objectum quoddam determinatum omnes homines ſenſerint, cum & ſen- Quomodo ſenſus communis deregendus?

ſenſus iſte ipſis internus, & maxima hominum pars extra noſtrum commercium poſita ſit? At vero, etſi omnes homines, eorumque interna ſenſa non pernoſcamus, ſine erroris tamen formidine concludimus, eos habere quoque animam rationalem; propriæ felicitatis deſiderio teneri; alimentis ad vitam ſuſtentandam ſecundum naturæ curſum indigere, & quæ ſunt ſimilia. Ita prorſus de ſenſu communi diſcurrendum: non eget ille anxia inquiſitione, ut detegatur, ſe ipſum cuilibet animum advertenti manifeſtat; eſt enim adeo evidens, atque in quovis reperitur homine, ut ii, qui diſſentiunt, rationem exuiſſe videantur. Sunt nempe quædam quaſi a natura nobis inſculpta, quibus repugnare nequaquam poſſumus, & quidem eo minus, quo magis conſtanti experientia confirmantur, quin ea a quopiam ſanæ mentis in dubium vocari, aut impugnari intelligamus. Adjumentum igitur præcipuum, latentem circa nonnulla objecta aliorum ſenſum pernoſcendi eſt ipſa propenſio naturalis, cujus nobiſmet ipſis conſcii ſumus: examinemus noſtramet animi ſenſa, & poſitis omnino præjudiciis videamus, num quaſi occulta quadam naturæ vi ad idem de hoc, vel illo objecto judicium ſemper ferendum impellamur; hanc animi comparationem ſi in nobis deprehenderimus, jure eam in aliis quoque ineſſe perſuaſum animo habebimus, cum & ii eamdem nobiſcum naturam humanam, & rationalem ſortiti ſint: ita deſiderium veræ felicitatis, quod in nobis ſentimus, omnibus aliis hominibus, etiam quos numquam vidimus, de quibus nihil legimus, abſque ulla hæſitatione attribuimus. Aliud non minus efficax ſuppeditat ipſa aliorum vivendi ratio exterius manifeſtata; ſenſus enim naturalis vel invitis nobis actiones noſtras externas moderari ſolet: inde fit, ut ii etiam, qui quo demum cumque mo-

tivo

tivo impulſi, a communi nonnumquam judicio diſſentientes videri volunt, factis tamen ſuis, ac vitæ rationibus ſeſe eidem ad ceterorum normam accommodent, quo latentem in animo ſenſum, quantumcumque verbis repugnent, luculenter manifeſtant; ſic olim ſceptici, etſi de exſiſtentia corporum ſeſe incertos eſſe palam ſimularent, non tamen propterea rebus externis minus uſi ſunt, ac ii, qui ſe certiſſimos de ea eſſe profitebantur; ſic illi quoque, qui libertatem humanam funditus ſublatam volunt, non propterea minus acriter injurias ab aliis ſibi illatas perſequuntur, quod facere neutiquam poſſent, ſi vere, ſerioque intra ſe judicarent, actionem illam, quam ſibi ut injuriosam apprehendunt, cum abſoluta neceſſitate fuiſſe poſitam, quam ob rationem damnum ab amente, aut bruto illatum inter injurias non reponunt? Denique nec rejiciendi ſunt libri, ac commentarii, in quibus majores noſtri animi ſui ſenſa poſteris conſignata reliquerunt.

Atque ex his, quæ adhuc copioſe allata ſunt, cuilibet ſatis patere arbitror, eum, qui communem naturæ rationalis ſenſum in ſufficientibus veritatis indiciis non numerat, ab impudenti ſcepticiſmo, aut fanatiſmo non procul abeſſe, quin propemodum monſtrum aliquod abortivum naturæ rationalis eſſe, eoque miſeriæ deveniſſe, ut ipſi nullum cum reliquis hominibus judiciorum commercium eſſe poſſit; ſiquidem ſophiſtarum argutias, vana mentium aberrantium deliria, vulgi commenta, ac dubitationes in ſola rerum poſſibilitate fundatas communi, atque in univerſum conſentienti totius generis humani judicio anteponit.

CA-

CAPUT V.

DE

TESTIMONIO SENSUUM EXTERNORUM.

Quid ſenſus externi?

CLXXIII. *Senſus externi*, ſive *organa ſenſoria* ſunt exteriores illæ corporis noſtri partes, quarum ope, ſi nimirum in iis mutatio quæpiam accidat, mens noſtra objecta extra ſe poſita percipit; videlicet 1. *oculi*, 2. *aures*, *nares*, *palatum*, & *fibrillæ* per totum corpus diffuſæ, quæ ſenſum *tactus* conſtituunt.

Schol. In acceptione hujus vocabuli *ſenſus* prorſus hic non recedo a ſignificatione uſitata, nec aliud intelligo, quam quod omnes vulgo intelligunt, cum de *ſenſibus* loquuntur: quo vero modo fiat, ut ſenſuum ope mens quidpiam percipiat, explicare non eſt hujus loci; ea enim res ad pſychologiam pertinet.

Quid teſtimonium ſenſuum externorum?

CLXXIV. *Teſtimonium ſenſuum externorum eſt illa idea*, quæ occaſione mutationis in ſenſibus externis contingentis in mente noſtra excitatur.

Schol. Dicuntur nimirum ex uſu recepto ſenſus, quando ab objectis externis varie afficiuntur, nobis aliquid de iiſdem renunciare, ſive *teſtari*: teſtimonium proinde ipſorum ipſa hæc eſt annunciatio, quæ ſi accuratius expendatur, non in alio conſiſtit, quam, quod vi unionis inter corpus, & animam alio in loco exponendæ cum determinata in ſenſibus af-

ſectione determinata quoque in mente idea coexſiſtat.

CLXXV. *Teſtimonium ſenſuum de multis rebus externis nullum datur*; etenim 1.) ſenſus nobis non annunciant naturam objectorum internam, neque in quo apparentes illæ proprietates, ſive qualitates corporum conſiſtant: percipimus quidem evidenter in corporibus exſtare quidpiam ſeu *diſpoſitionem* quampiam, ſeu *vim* vocare placeat, unde in nobis oriatur *ſenſatio coloris*, *caloris*, &c. &c. ſed quid illud reapſe in ſe ſit, ope ſenſuum non percipimus. 2.) Senſus nobis non annunciant partes minimas, earumque diſpoſitiones etiam in extima corporum ſuperficie latentes; quin integra quoque objecta vel ob molis ſuæ exilitatem, vel ob nimiam a nobis diſtantiam acutiſſimam etiam ſenſuum aciem effugiunt. Patet id ex teleſcopiis, & microſcopiis; illorum enim ope objecta remotiſſima, ut ſtellas, libero oculo haud videndas, ſolis, lunæque maculas; horum minutiſſima, ut minimos in liquoribus vermiculos, in ſpeculis etiam politiſſimis cavitates, ac colliculos detegimus, quarum omnium rerum ne ideam quidem ante habebamus; & quid non efficerent tubi, ac microſcopia adhuc perfectiora? 3.) Senſus nos non docent impreſſionem, & affectionem, quam eadem objecta in aliorum hominum ſenſibus efficiunt; id ſiquidem pendet ab ipſa organorum conformatione, quæ in diverſis hominibus, ut eorum facies, diverſiſſima eſt. Inde cibus, qui uni ſapit, alteri diſſipit; idem liquor huic dulcis, alteri amarus; idem odor huic gratus, alteri ingratus accidit: numquam igitur certo mihi conſtare poteſt, num alii eamdem, quam ego, præſente quopiam objecto ſenſationem in ſe experiantur. 4.) Senſus non referunt veram mu-

An de omnibus rebus externis datur?

mutatæ quandoque impreſſionis cauſſam; cum enim, experientia teſte, tam objecta ob perpetuum in partibus minimis motum, quam ipſa ſenſuum organa varias ſubeant mutationes, ſola ſenſuum ope definiri nequit, utri horum ea cauſſa, organone videlicet, an objecto externo attribuenda ſit.

Récherch de la vérit. liv. 1. ch. 5.

Coroll. Ex his canon Cl. Malebranchii manifeſtus fit: de rebus, quales in ſe ſunt, ope ſenſuum, cave, ne umquam judices; iis ſolum utaris, ut cognoſcas, quomodo res mutua relatione ſibi invicem reſpondeant.

L. c. ch. 11.

Schol. Negari tamen nequit errorem hunc eſſe inter homines pervulgatum, noſque vulgo tribuere, ut advertit laudatus auctor, ſenſationes noſtras objectis, quando ea motu partium oculos effugientium in nos agunt, non vero, quando ipſa, eorumque actio ſub viſum cadunt. Sic *lucem*, *colorem*, *ſonum*, *odorem* in objectis eſſe putamus, non tamen *dolorem* in acu.

An quandoque dubium?

CLXXVI. *Teſtimonium ſenſuum quandoque dubium eſt;* res enim frequenter non ita ſe habent, ut ſenſibus apparent: quo in caſu ſolum eorum teſtimonium non omne de reali objectorum veritate dubium nobis eximere poteſt, ſed neceſſe erit, ut certitudo aliunde petatur; ſic cum oculi *remum integrum aqua immerſum ut curvum*, vel *turrim admodum remotam ut rotundam*, *cum tamen quadrata ſit*, repræſentant, ſpectato ſolum hoc oculorum teſtimonio dubium utique remanet de vera, ac reali objecti conſtitutione.

An quandoque certum ac evidens?

CLXXVII. *Teſtimonium ſenſuum in rebus compluribus eſt certum, ac evidens.* Nam ipſa experientia teſte, ac unanimi etiam, quod in communi naturæ ſenſu fundatur, judicio teſtimonium ſenſuum ita frequenter nobis ſatiſfacit, ut non modo omnem animo dubita-

tio-

tionem pellat, ſed ea quoque claritate menti veritatem proponat, ut ea prorſus conquieſcat, nec quidquam aliud, quo amplius confirmetur, indaget; ſic alium quempiam de rei cujuſdam veritate penitus convicturi dicimus, *nos propriis eam rem oculis uſurpaſſe*, putamuſque efficaciſſimum, quod iis in adjunctis poſſibile eſt, veritatis argumentum a nobis allatum fuiſſe; neque falli nos vel exinde liquido patet, quod alterum reſponſione hac; ſi modo nos reipſa vidiſſe credat, prorſus tranquillum, nec aliud quid requirentem dimittamus. Sed & inductione quoque veritas præſentis theorematis demonſtratur. 1.) Senſus nos certos reddunt de ſenſatione actuali, de qua dubitare abſolute impoſſibile eſt; qui enim ambigam me percipere talem colorem, aut talem ſonum occaſione hujus corporis, quod nunc meos oculos, aut aures determinato quodam modo afficit, dum id re ipſa percipio. 2.) Senſus fideliſſime ſemper referunt id, quod ipſis apparet; cum enim ſint inſtrumenta tantum, cauſſæque neceſſariæ, neque vi propria, neque ex arbitrio agere poſſunt, ſed ſolum eam, quam ab objectis externis recipiunt, affectionem, ſive impreſſionem menti renunciant: hæc proinde renunciatio eidem affectioni nequit non eſſe conveniens; ſic cum nobis, *dum provehimur portu, monteſque, urbeſque recedunt*, demonſtrant optici, eam reapſe in oculis impreſſionem fieri. 3.) Id, quod ſenſibus apparet, fere ſemper congruit veritati objectorum externæ, ac reali, cum agitur de rebus ad vitæ uſus, ac conſuetudinem neceſſariis: ſic ſenſus ſatis oſtendunt ea objecta, quæ ad corporis nutrimentum præ reliquis ſerviunt; quin, quo res ſunt nobis magis ſalubres, aut noxiæ, eo potiſſimum pluribus objiciuntur ſenſibus, diverſaſque in nobis ſenſationes, quæ

quæ ad eas diſcernendas conducunt, excitant; an non enim teſtimonio ſenſuum certiſſime convincimur, hoc corpus eſſe liquidum, illud ſolidum: panem præbere firmum corpori noſtro nutrimentum, aqua contra illud dilui; certis quibuſdam horis diem, aliis vero noctem, quandoque æſtatem, alias autumnum, ver, hyemem eſſe, & quæ ſunt ejuſmodi? ea porro, quæ ſenſuum ope non diſcernimus, ad vitæ uſus nequaquam ſunt neceſſaria; ſic adeo neceſſarium non eſt, ut minimos in aqua, aceto, vino vermiculos videamus, ut hoc potius in maximum nobis cederet detrimentum. Senſuum igitur munus non eſt, hæc, & ſimilia referre: quodſi proinde hiſce in caſibus quandoque decipiamur, nobis ipſis, non ſenſibus error adſcribendus eſt. Quilibet teſtis verum duntaxat dicit de eo, quod ſcientia comprehendit; quod ſi cogatur de rebus ſibi ignotis teſtimonium ferre, error non ipſi, ſed vim inferenti tribuatur, oportet. 4.) Senſus nos certiſſimos efficiunt de reali diverſorum corporum exſiſtentia: etenim primum ipſo naturæ rationalis ductu impellimur, ut judicemus impulſiones in corpore noſtro factas naturalem cum corporibus extra nos exſiſtentibus connexionem habere; deinde ſenſatio illa, quam ſenſuum ope acquirimus, non eſt ſimplex quædam, & nuda perceptio intima, ſed amplius quid, quædam videlicet mentis modificatio, quæ præter ſpecialem quampiam ſenſus intimi vivacitatem menti ideam rei cujuſpiam exſiſtentis, quam corpus compellamus, ingenerat; nam ad noſmet ipſos reflectentes ingens deprehendimus diſcrimen inter ideam rei abſentis per ſolam imaginationem reproductam, & inter eam, quæ dependenter ab actuali ſenſuum affectione in nobis excitatur; ſic quantumcumque mihi vivaciter imaginer, ignem

ignem corpori applicari, ea tamen idea ſemper in immenſum differet ab ea ſenſatione, quam igne reipſa applicato percipio. 5.) Senſus denique evidenter teſtantur eſſe quidpiam in corporibus, quod vim vocamus, ac per quod ea in nos agendo ſenſus noſtros hac, vel illa ratione afficiunt, & immutant, etſi neque ejus naturam, neque internam corporum conſtitutionem nobis annuncient.

Corol. I. Numquam igitur, ſi quod res eſt, fateamur, ſenſus nos fallunt: ipſi nos decipimus occaſione eorum, quæ illi nobis fideliter annunciant; neque enim a ſenſibus exigi debet, ut mentem admoneant de eo, quod eſt; munerique ipſi ſuo ſatisfaciunt, ſi id referant, quod ipſis apparet; mentis porro erit rem ulterius inveſtigare, atque dijudicare; hinc veriſſime ait Malebranchius: non a ſenſibus, ſed a mente ad judicandum nimis propenſa nos decipi.

Schol. Veritas hujus theorematis nullo modo infringitur ex eo, quod ſaltem per abſolutam Dei potentiam teſtimonio ſenſuum poſſit ſubeſſe falſum; fateor enim lubens, certitudinem hanc, ac evidentiam eſſe ſolum in ordine naturali, phyſicam proinde, non metaphyſicam (§. 162. & ſchol.), neque vero major in objecto certitudo cum ratione deſiderari poteſt, quam ea ſit, cujus ipſum per eſſentiam ſuam capax eſt. Sed neque majorem vel natura noſtra admittit, vel conditio requirit; cum enim ſenſus nobis ſolum dati ſint ad præſentis vitæ uſus, ſatis utique ſerviunt, ſi nobis res eas, quæ naturæ noſtræ vel conveniunt, vel adverſantur, certo, & evidenter cognoſcendas præbeant; & quis id ab iis fideliſſime præſtari negabit? an de ignis exſiſtentia ambigere poterit, qui jam illius vim quondam expertus eſt? Eſt igitur certitudo hæc tanta, ut ſit ſecuriſſima

Quomodo objectionibus occurrendum?

ma actionum noſtrarum regula; tanta; ut nos in acquiſitione boni, aut fuga mali, quod a rebus externis in nos derivari poteſt, optime deducat; tanta denique, quanta voluptas, aut dolor, quem ex earum rerum uſu percipimus, atque inde tam parum quis de exſiſtentia aliorum entium extra ſe, quam de ipſo illo ſenſu, quo ſe ab iis interne affici ſentit, ſerio dubitare poteſt: ex quo patet veram utrinque, licet non æque vivacem, dari evidentiam. Ceterum etſi Deus in uno vel altero caſu per miraculum efficere poſſit, ut id, quod ſenſibus apparet, non exſiſtat; ut tamen hoc conſtanter evenire admittat, quin hoc ipſum alia nobis ratione patefaciat, id enim vero illius & bonitati, & ſapientiæ, & veriloquio omnino adverſum eſſe dubitari vix poteſt.

Opponunt hic alii imaginationes phreneticorum, ac furioſorum, qui res, quæ nuſquam ſunt; tamquam præſentes intuentur, indeque conſequi putant, ut prudenter ambigi queat; num ſenſationibus noſtris objecta reapſe exſiſtentia reſpondeant. At vero ejus rei ratio in aperto eſt, eaque dilucide in pſychologia explanatur. Interea, quod pro præſenti ſufficit, tam clara, tam manifeſta eſt differentia inter ideam ope imaginationis reproductam; & eam, quæ actu ope ſenſuum in mente excitatur, quam clare ſentimus differentiam, quæ inter duas ideas realiter diſtinctas intercedit. Profecto diverſiſſimas habemus ideas, cum de die ſolem intuemur, & cum noctu de eo cogitamus; cum roſam odoramur, aut rem quampiam dulcem guſtamus, & cum præteriti odoris, aut guſtus ſolum recordamur; neque enim imaginatio tam vivaciter nos afficit, neque voluptas, & dolor, quæ potiſſimum ſenſationes noſtras comitantur, cum ideis per phantaſiam reproductis redeunt. Eleganter hanc Eſſai in rem ait Lockius „ ſcribens nunc video me

„ poſ-

„ poſſe hanc chartam varie modificare, atque
„ etiam prædicere, quæ nova idea occaſione
„ earum figurarum, quas ope calami in ea de-
„ pinxero, momento ſubſequente ſit in men-
„ te excitanda: profecto ſi id mihi tantum
„ imaginarer, hæ figuræ in charta nuſquam
„ apparerent. Igitur non eſt merus imagina-
„ tionis luſus, cum deprehendam characteres
„ ſecundum meam phantaſiam prius formatos,
„ jam non amplius ab eadem pendere, neque
„ ceſſare, quomodocumque mihi imaginer il-
„ los non eſſe, immo permanere & conſtanter
„ & regulariter, atque meum, & aliorum, qui
„ legerint, ſenſum pari ratione affecturos. „

phil. comm. cer. l'entend. hum. l. 4. ch. 11. §. 7.

Ad ſomnia confugiunt alii, voluntque evincere; ex vigilantium ideis exſiſtentiam rerum actualem nequaquam certo colligi poſſe; quemadmodum neque ex ſomniantium imaginationibus ejus generis concluſio fieri poteſt. At iſtis quidem reſpondere parum refert; ſi enim res ita ſe habeant, objiciendo ſomniant, & ſi mera ſint ſomnia, nulla exſiſtit veritas, nullaque eſt cognitio; vana proinde ſunt omnia ratiocinia; inutilia omnia argumenta, quæ ſeu ad ſtabiliendam, ſeu ad refutandam eam rem adferri poſſe viderentur. Sed tamen ne nihil dicamus: valet huc primum reſponſio ſupra data; differentia enim immenſa eſt inter imaginationem, quam ſomnians habere poſſum, me eſſe in igne, & inter actualem ſenſationem, quam eo in caſu experirer; neque voluptas, aut dolor ea, qua vigilantes ſolet, vivacitate ſomniantes umquam afficit. Deinde cum vigilamus, clariſſime agnoſcimus abſurdam, quæ in ſomniorum phantaſmatis perpetuo occurrit, confuſionem; ſomniantes vero eam non diſcernimus; denique cum vigilantes de ſomnio cogitamus, optime perſpicimus ſtatum eum magnis eſſe tenebris involutum; cum vero ſomniantibus de vigilia forte cogitatio venit, eam-

dem

dem ut ſtatum clariorem, vel ſaltem æque clarum percipimus.

An teſtimonium ſenſuum indicium ſufficiens veritatis externæ?

CLXXVIII. *Teſtimonium ſenſuum externorum certis arctatum limitibus eſt indicium ſufficiens veritatis externæ*: cum enim hoc teſtimonium de compluribus rebus certum ſit, ac evidens (§. 177.), in quibuſdam adjunctis numquam fallit (§. 161.), ac proinde iis recurrentibus infallibiliter indicat adeſſe veritatem: atqui hoc eſt eſſe indicium veritatis ſufficiens (§. 160.): ergo patet propoſitum.

Schol. Veritatis ajo *externæ*; ſenſus enim externi nobis nihil annunciant de objectis intra nos exſiſtentibus: addo, *certis arctatum limitibus*; cum enim teſtimonium ſenſuum quandoque nullum ſit, etſi fortaſſis adeſſe falſo videatur (§. 175.), quandoque vero dubium (§. 176.), patet illud certos intra fines concludi debere. Verbo, ut rem breviſſime abſolvam; ſenſuum ope eæ nobis veritates pateſiunt, quas obtinere poſſumus de rebus ad vitæ uſus, noſtrique conſervationem neceſſariis, utilibus, aut noxiis, quo actiones noſtras, communiſque vitæ ſocietatem regamus, ac tueamur. Deus quippe optimus, uti nobis magnam hac in tellure rerum ubertatem conceſſit, ita etiam iiſdem in bonum noſtrum nos uti voluit; jam vero ſi ſenſus vel prorſus nobis deeſſent, vel conſtanter falſum repræſentando nos perpetuo deluderent, omnium harum rerum cognitione, commodiſque inde profluentibus deſtitueremur. Atque inde manifeſte conſequitur nobis hominibus eo fine a ſupremo Auctore ſenſus datos eſſe, ut iis in examine rerum nobis utilium, aut noxiarum uteremur, neque iis nos conſtanter decipi poſſe, niſi ſumma ſapientia ſibi ipſi quodam modo adverſaretur, utpote quæ vellet, ut iiſdem mediis quæ nobis ad cognoſcendas, quibus utimur, res dediſſet, in errores induca-

mur

mur (conf. §. 177. ſchol.). Verum ut in his ipſis rebus teſtimonio ſenſuum abſque errandi periculo fidamus, necesſe eſt, ut diſcamus certum a dubio quovis in caſu infallibiliter diſcernere; id porro ad ſequentia attendendo haud difficulter conſequemur.

Adjumenta diſcernendi teſtimonium ſenſuum certum a dubio.

1.) Spectandus eſt *finis*, ad quem ſenſus nobis ab Auctore conceſſi ſunt; dati nimirum nobis ſunt ſenſus, ut ſupra dictum eſt; primario ad noſtri conſervationem, uſuſque vitæ neceſſarios, non ad comparandas ſcientias pure theoreticas, quantumvis eæ ad meliorem animi culturam plurimum faciant: huic porro fini aptiſſime ſemper ſenſus congruunt; nam & ſumma pernicitate, totque modis diverſis, dolore videlicet, aut voluptate, jucundis, vel injucundis affectionibus mentem de rebus, quæ ad conſervationem vitæ vel neceſſariæ, vel utiles, vel noxiæ ſunt, admonent, & aliorum cum noſtro corpore convenientiam, ſive diſcordiam evidenter edocent. Inde quo corpus nobis eſt propius, eo fortius; quo vero remotius, eo debilius nos afficit; remotiora quippe univerſim minus prodeſſe, vel obeſſe noſtri corporis conſervationi poſſunt.

2.) Spectandum eſt *objectum peculiare* cujuslibet ſenſus. Quilibet namque ſenſus ex naturali ſua inſtitutione ad res duntaxat aliquas, eaſque determinatas nobis exhibendas ordinatur; unde decipi nos mirum non eſt; cum illius ope res alias, ad quas ille directe ſe non extendit, cognoſcere volumus. Multi cum Malebranchio acerrime contendunt, ab oculis nobis perpetuo imponi, atque argumentum ducunt ab eo, quod eorum

re-

renunciatio de objectorum magnitudine, ac diſtantia potiſſimum falſa ſit. At vero, ſi rem accurate expendamus, deprehendemus utique proprium ocûlorum objectum ſolos eſſe colores, licet, ut conſuetudo fert, ex angulo per radios luminis in oculi retina formato de ipſa etiam objecti colorati magnitudine, aut diſtantia judicare fere ſoleamus; verum hoc judicium non magis ad viſum, quam ad auditum pertinet, ſi quidem ex diverſa quoque ſoni intenſione, aut remiſſione de magnitudine, & diſtantia corporis ſonori perfrequenter judicium ferimus. Quodſi jam ejuſmodi judicia falſa eſſe contingat, nullo jure oculis, aut auribus culpa attribui poterit, cum ea organa ſimili in caſu non ſuo, ſed alieno, tactus nimirum munere fungi propemodum invita cogantur; digiti nempe, pedes, palmi, cubiti, quæ pro rerum menſuris univerſim adhibentur, ſunt partes corporis humani, in quibus ſenſus tactus præcipue viget, atque ad eas ſpectat explorare magnitudines, & diſtantias objectorum, menſurando videlicet per ſuam propriam extenſionem eam, quæ eſt in objecto, ad quod applicantur. Niſi igitur teſtimonium occulorum de rei cujuſpiam magnitudine confirmetur per teſtimonium manus, aut alterius partis menſurabilis, certam fidem non meretur: neque tamen propterea oculi ſunt fallaces, aut eorum functio imperfecta, cum ex ſe ipſis, & ex directa naturæ inſtitutione ii nobis ſolum conceſſi ſint ad indicandos colores, & ſolum per accidens ad diſcernendas magnitudines, & diſtantias adhiberi poſſint.

3.) Ipſa *ratio* conſulenda eſt, quæ velut judex ſenſuum externorum renunciationes in examen vocare debet: quodſi ea ex aliis aliunde certis principiis contrarium judicet, teſtimonium ſenſuum abſque hæſitatione rejicien-

ciendum eſt. Sic *cum nobis oculi ſolem exhibent, ut diſcum, cujus diameter duos circiter pedes complectatur;* hoc viſus teſtimonium nullum obtinet apud nos momentum, quia nempe ratio noſtra ex evidentiſſimis aliunde argumentis invicte colligit ſolem eſſe corpus ſphæricum, & in immenſum tellure majus.

4.) Spectandum eſt *teſtimonium ſenſuum præcedens;* quodſi ſenſatio quæpiam præſens pugnet cum iis, quæ alias ope ſenſuum percepimus, gravis adeſt ſuſpicandi cauſſa, vel objectum non eſſe debito modo collatum, vel mutationem quampiam ſeu in objecto, ſeu in organo noſtro eveniſſe: eſt proinde teſtimonium præſens dubium, atque adeo judicium eo uſque retinendum, donec veritas clarius evolvatur.

5.) Spectandum eſt *teſtimonium præſens ſenſus alterius;* nam ſi duo teſtimonia actualia diverſorum ſenſuum inter ſe opponantur, manifeſte patet, alterutrum eorum dubium eſſe: quod vero illud ſit, potiſſimum ratione objecti habita (n. 2.) decidi poterit. Sic *cum oculi remum aquæ immerſum exhibet curvum, eodem ſimul tempore tactus eum repræſentat rectum;* credimus vero huic præ illo, quia partium in corpore diſtantias, cohæſionem, totiuſque magnitudinem explorare proprie ad tactum pertinet; ſic quoque infans primum ſe ipſum in ſpeculo, aut aqua videns alium intus latere judicat infantem; ſed ubi ſpeculum, aut aquam ſæpius contigerit, emendat judicium, & contra oculorum teſtimonium tactui fidem habet.

6.) Spectandum denique eſt *teſtimonium ſenſuum aliorum hominum;* ſi etenim aliis plurimis, ac fere omnibus, quos organis æque perfectis inſtructos eſſe tuto credere licet, aliud appareat, atque mihi, ſana ratio exigit, ut me potius unum præ tot aliis falli judi-

cem; ſecus enim natura ipſa potiſſimam hominum partem per ſe ſe in errores induceret, quod ſine abſurdo ne cogitari quidem poteſt.

Schol. Non attuli hic criterium, quod complures in debita organorum conſtitutione reponunt, ajentes: attendendum eſse vel maxime, num ſenſus noſtri valentes, ac vegeti ſint; id ſiquidem ipſum eſt, quod fere ſemper nos latet, neque præter dicta adjumenta ulla datur certa norma, ad quam noſtrum ea de re judicium exigi poſſit. Refert P. Buffier fuiſse hominem, cui ad annum ætatis fere trigeſimum omnia objecta alio, ac ceteris hominibus, colore imbuta apparuerunt, quin tamen id a quoquam animadverteretur: invaletudine eo circiter tempore correpto albuginis quædam ſpecies ex oculis decidit, ſimulque glaucoma, quo adhuc ignorans laborabat, diſparvit; ex eo vero tempore longe diverſos in iiſdem rebus, quas toties ante viderat, colores deprehendit. Jam quæſo, potuitne hic ante ſuam ægrotationem de recta oculorum ſuorum conſtitutione certus eſse? cenſuerit id ſane, at non ſine graviſſimo errore: deinde annon idem ipſum, quod homini huic per aliquod temporis intervallum contigit, quodque toto facile vitæ ſpatio perdurare potuiſſet, aliis etiam nonnumquam accidet? Patet igitur, quemadmodum, ut teſtimonium ſenſuum ſit certum, requiritur, ut ii ſint rite conſtituti; ita quoque ad id ipſum in caſu quovis ſingulari diſcernendum opus eſse aliis rurſus adminiculis, quæ tandem ad ſupra allata reducentur.

Trait. des prémie. verit. p. 1. ch. 14. n. 107.

CA-

CAPUT VI.

D E

DE AUCTORITATE.

CLXXIX. *Auctoritas* eſt teſtimonium alterius, quatenus nos movet ad aliquod judicium ferendum; & quia teſtimonium vel a Deo, vel ab homine proficiſci poteſt, ea duplex eſt *divina*, & *humana*. Quid auctoritas, & quotuplex

CLXXX. *Auctoritas conſtituitur per ſcientiam, & veriloquium teſtantis;* ſic enim a natura comparati ſumus, ut ad aſſenſum relationi cuipiam præſtandum non ante moveamur, quam firmiter perſuaſi ſimus narrantem neque decipi, neque nos decipere velle, illud autem ſcientia rei, quæ narratur: hoc veriloquium, ſeu veracitas præſtat: igitur auctoritatem quamcumque per ſcientiam, & veriloquium teſtantis conſtitui in aperto eſt. Quod ejus conſtitutivum?

Coroll. Quo igitur quis certior eſt de ſcientia, & veracitate teſtantis, eo major comparate ad illum erit alterius auctoritas.

CLXXXI. *Auctoritas divina parit certitudinem metaphyſicam:* cum enim in Deum nulla cadat imperfectio, ut in theologia naturali demonſtratur, nullo pacto fieri poteſt, ut is vel rei alicujus ſcientia, vel veri dicendi voluntate umquam deſtituatur: quare Dei auctoritas, quæ per hæc conſtituitur (§.præc.), nullo in caſu fallere poteſt; ſed ejuſmodi indicium parit certitudinem metaphyſicam (§. 162.): igitur auctoritas divina parit certitudinem metaphyſicam. Quam certa auctoritas divina?

Quando, & quale indicium veritatis? Coroll. Evidens igitur eſt auctoritatem Dei loquentis eſſe indicium veritatis omnibus numeris abſolutum, in iis videlicet rebus ſpectandum, quæ per revelationem divinam nobis innoteſcunt, atque aſſenſum ob eamdem præſtitum metaphyſica quoque certitudine pollere.

An auctoritas humana nonnunquam fallibilis? CLXXXII. *Auctoritas humana in ſe ſpectata quandoque fallere poteſt*; cum enim quilibet homo in ſe conſideratus ob intellectus humani brevitatem errandi periculo expoſitus ſit, fieri poteſt, ut quis de iis rebus, quas teſtatur, non ſit ſatis inſtructus; cum item voluntas humana in malum propendeat, variiſque affectionibus, ut ſpe, metu, commodorum, aut partium ſtudio &c. perſæpe agatur, fieri rurſum poteſt, ut quis conſulto etiam falſum pro vero propinando nobis imponat: quare cum ex alterutro horum fonte conſequi neceſſe ſit, ut aſſentientes ejuſmodi auctoritati fallamur, manifeſtum eſt, auctoritatem humanam in ſe ſpectatam quandoque fallere poſſe.

An nonnunquam infallibilis. CLXXXIII. *Auctoritas humana certis in adjunctis eſt infallibilis, paritque certitudinem, ac evidentiam moralem*; etſi enim quilibet homo ſeorſum acceptus errori obnoxius ſit, concurrunt tamen ea quandoque adjuncta, ut nemo eorum teſtimonio refragari debeat, quin ut id homini ſana ratione utenti impoſſibile evadat: ſuadetur nempe ea efficacitate veritas, ut de ea nullo modo dubitare poſſimus, etſi tota, quæ in objecto ineſt, obſcuritas non tollatur; ſed hoc ad certitudinem, & evidentiam moralem ſufficit (§. 162. & ſchol.). Quod ſi quis plura requirat, næ is veritatum, ac judiciorum naturas confundit, aut in vanam logomachiam declinat.

Schol.

Schol. Et profecto ſi oculorum aliorumque ſenſuum teſtimonio ſua conſtet firmitas, ac certitudo, cur eam teſtimonio hominum certis in adjunctis denegemus? æqualem enim utrinque ipſa nobis natura quodam modo neceſſitatem imponit, ut uni æque, ac alteri teſtimonio veritatem ſubeſſe nobis perſuadeamus. Indidit nempe natura omnibus hominibus eam animi comparationem, ut veritatem diſcernere poſſint, quando ea ipſorum captum, ac intelligentiam non excedit, eamque aliis enuncient, niſi prava quadam affectione in tranſverſum agantur; unde fieri nequit, ut omnes ſimul falſum pro vero accipiant, aut illud malitioſe nobis obtrudant. Si quis ad ea, quæ in ſe experitur, animum advertat, ſincerusque eſſe velit, fateri cogitur, ſe tam procul ab omni de exſiſtentia urbis Romanæ dubitatione abeſſe, quam parum de exſiſtentia ſolis ſupra horizontem, dum eum ſuis intuetur oculis, ambigere poteſt; profecto ſicut fieri omnino non poteſt, ut ſerio judicem, omnes cujuſdam typographiæ characteres fortuito caſu projectos ita feliciter convenire poſſe, ut inde oratio quæpiam Ciceronis, aut Virgilii æneis prodeat, ita quoque impoſſibile eſt, ut ſerio judicem, omnes homines, cum aſſerunt Romam exſiſtere, ſimul falli, aut in id, ut me fallant, conſpiraſſe: igitur in hoc caſu nullo modo liber ſum, ut ſeria mente unanimi tot hominum teſtimonio contradicam, aut non aſſentiar: id quod ad certitudinem, & evidentiam moralem omnino ſufficit. Interea tamen fatendum eſt, evidentiæ huic non eam ineſſe vivacitatem, qua metaphyſica, aut phyſica gaudere ſolet; non tamen propterea minus vere, ac realiter noſtrum ea conſenſum elicit: nempe non ſum magis certus ſolem exſiſtere, quando eum video, quam certus ſim dari Romam, quando id omnes affirmant; ſed tamen prior illa certitu-

do vivaciorem in me impreſsionem efficit, atque hæc. Et hinc deſumi debet, quem ſenſum contineat id, quod vulgo dici ſolet: *magis a nobis credi id, quod videtur, quam quod ſolum auditur*: ſenſus videlicet hujus axiomatis eſt: nos longe vivacius affici eo, quod oculis uſurpamus, quam eo, quod ſolum auditu percipimus, non autem illud præ hoc magis verum nobis videri. At quænam, quæret aliquis, ſunt ea adjuncta, in quibus auctoritas humana certa evadit? accipe igitur

Characteres certæ Auctoritatis humanæ.

1.) *Objectum, circa quod teſtimonium verſatur, ſit res facti*; neque enim in rebus ſcientificis ullum habet auctoritas humana pondus. Sit præterea ejuſmodi, ut eorum, qui teſtantur, captum non ſuperet, quod tum obtinetur, quando iis neque vires intelligentiæ, neque copia indagandi veritatem deſuerit.

2.) *Numerus teſtantium ſit tantus, ut iis in adjunctis prudenter major deſiderari nequeat*: numerum tamen non faciunt etiamquam plurimi, cum omnes rem ab uno deſumunt.

3.) *Non ſit locus prudenti ſuſpicioni, an non teſtimonium ex prava quadam animi affectione proficiſcatur*; mens enim ejuſmodi motibus agitata vel verum non videt, vel, ſi videat, occultat.

4.) *Teſtimonium ſit unanime, & non niſi a pauciſſimis, quales numquam deſunt, in dubium vocetur*: quod ſi neque illi, quorum cauſſa agitur, quorumque proinde id dubium reddi vel maxime intereſſet, contradicant, maximum veritati pondus accedit.

An, & quale indicium veritatis? CLXXXIV. *Auctoritas humana hiſce characteribus inſignita eſt indicium ſufficiens veritatis*

ritatis externæ; eſt enim infallibilis, paritque certitudinem, ac evidentiam moralem (§. 183.): habet igitur ea, quæ ad indicium veritatis ſufficiens requiruntur.

Schol. Veritatis nimirum *externæ*; internæ non eſſe, patet alioquin; at neque omnis externæ, ejus videlicet ſolum, quam nec ſenſibus externis, nec ſenſu naturæ communi, nec ratiocinio ex illis deducto conſequi valemus. Verbo, ea nobis auctoritas humana vera eſſe indubitanter perſuadet, quæ ad facta, ac hiſtorias attinent, iiſque in ſuſcipiendis conſiliis, expediendis negotiis, ac cognoſcendis illis, quæ ad vitæ uſus requiruntur, dirigimur. Qui in ejuſmodi rebus omnem teſtimonio humano fidem abrogaret, is profecto non modo a ceterorum commercio veluti perverſi, ac aberrantis animi homo excludi mereretur, verum etiam ſibi ipſi quam maxime noxius foret; ex pleriſque enim rebus a Deo hominibus ad uſum conceſsis nullam utilitatem capere, & non niſi infelicem, brevemque in tellure vitam degere poſſet, cum nemo ſit, qui ipſe propriis ſenſibus omnes res ad vitam ſibi neceſſarias explorare queat, proptereaque in compluribus occaſionibus aliorum inſtructione non egeat. Atque exinde patet, Deum optimum voluiſſe, ut nobis hominum teſtimonium quandoque ſerviat ad veritatem certo detegendam, eumque etiam dediſſe hominibus facultatem determinandi, quid huic teſtimonio ineſse debeat, ut fidem mereatur. Hæc de auctoritate humana dicta pro hoc loco ſufficiunt, plura de eodem argumento dicemus in parte tertia, ubi de fide agendum erit.

PARS TERTIA LOGICÆ.

DE COGNITIONE VERITATIS.

§. CLXXXV.

Quod argumentum partis tertiæ?

CUM veritas indiciorum ope deteƈta menti obverſatur, eamdem *cognoſcere* dicimur; eo vero, in caſu vel *ſcimus*, vel *opinamur*, vel *credimus*: triplex inde oritur cognitionis ſpecies: *ſcientia*, *opinio*, ac *fides*, præcipuum ultimæ hujus partis argumentum.

CLXXXVI. Potiſſimam fere cognitionum noſtrarum partem leƈtioni librorum debemus: quare, cum de cognitione veritatis generatim hoc loco agamus, ea quoque adferantur, oportet, quæ ad evolvendos utili leƈtione libros, verumque eorum ſenſum aſſequendum ſcitu neceſſaria ſunt.

CLXXXVII. Denique, quando, ut in aperto eſt, veritatis cognitio cum ignorantia, & errore conſiſtere nequaquam poteſt, non erit inutile præcipuas utriuſque cauſſas, fonteſque detegere; his enim intelleƈtis eam facilius diſpellemus; hunc vero vitabimus; atque hac ratione cognitionem noſtram pro humani intelleƈtus viribus amplius ſemper, & amplius extendemus. His in tironum commodum, ne quidpiam deſit, breve de concertatione litteraria caput ſubneƈtemus.

CAPUT I.

DE
SCIENTIA, EJUSQUE DIVERSIS SPECIEBUS.

CLXXXVIII. Omnis cognitio certa; ac evidens *ſcientia*; atque judicium, quod dependenter ab ea formatur, *ſcientificum* compellatur; ut cum judico: *totum eſt majus ſua parte*. Quid ſcientia, &. judicium ſcientificum?

Coroll. Eam igitur propoſitionem *ſcio*, cujus veritas mihi evidenter relucet.

Schol. Sumo vocabulum *ſcientiæ formaliter*, ſeu *ſubjective*, quatenus videlicet refertur ad mentem; nam *objective*, ſive relate ad objectum, illud notat vel quamvis veritatem evidentem, vel collectionem quampiam, ſeu ſyſtema veritatum demonſtratarum, quale eſt geometria, metaphyſica &c. &c. Significat quoque per aliquos ſcientia habitum demonſtrandi longiori uſu, & exercitio comparatum, atque hoc in ſenſu ille dicitur pollere ſcientia metaphyſica, vel geometrica, qui facilitatem poſſidet complura ſaltem aſſerta ad geometriam, vel metaphyſicam ſpectantia demonſtrandi.

CLXXXIX. Cognitio certa, ac evidens vel ex ſola idearum inter ſe collatione, vel ope ideæ cujuſdam mediæ obtinetur: duplex igitur eſt ſcientia; *intuitiva*, cum ex ſola idearum comparatione earum convenientia, vel repugnantia relucet; ſic intuitive ſcio *me eſſe*, *cogitare*, *circulum eſſe rotundum*, *totum eſſe majus ſua parte* &c. *Demonſtrativa*, cum Quotuplex ſcientia?

ea idearum connexio ope unius, vel plurium etiam aliarum intervenientium detegitur; ſic *animam eſſe incorruptibilem deprehendimus ope ideæ mediæ entis ſimplicis*.

COROLL. 1. Omnes igitur veritates, quæ immediate vel ex ſenſu intimo, vel ex ſenſu naturæ communi, vel ex teſtimonio ſenſuum externorum, profluunt, *intuitive* ſcimus.

COROLL. 2. Quando ſcientiam demonſtrativam habemus, præſtamus aſſenſum convenientiæ, vel repugnantiæ duarum idearum propter viſam earumdem cum tertia convenientiam aut repugnantiam; at cum hoc facimus, ratiocinamur (§. 121.): igitur ſcientia demonſtrativa involuit ratiocinium; atque inde omnes veritates, quas ex prædictis indiciis legitime ratiocinando deducimus, *demonſtrative* ſcimus.

SCHOL. Dicitur ſcientia *intuitiva*, quia mens ex ſolo idearum intuitu, abſque ulteriore cura, aut labore veritatem aſſequitur, eamque infallibiliter dijudicat: ut oculus apertus videt lumen ſolis, ita in hoc caſu veritas ſeſe menti attendenti manifeſtat, quin ipſi poſſibile ſit de ea aut ſerio dubitare, aut ampliorem inquiſitionem inſtituere. At vero ſcientiam *demonſtrativam*, etſi eadem certitudo, non tamen eadem claritas, ac evidentia æque vivax comitatur; in hac enim mens non ſine magno labore, & attentione per longas quandoque idearum mediarum progreſſiones ducta tandem convenientiam, aut repugnantiam idearum detegit (conf. §§. 164. & 165. cum ſchol.). De hoc plura in capite ſequente.

Quid experientia.

CXC. Scientia, quam ſenſuum externorum adjumento obtinemus, *experimentalis*, ſive *experientia* audit: comparatur igitur attentione ad eas mutationes, quæ in organis ſenſoriis ab objectis externis efficiuntur. Dicitur, *externa*, ut diſcernatur a ſenſu intimo,

qui

qui experientiæ *internæ* nomine frequentius venit.

CXCI. Experientia compellatur *obſervatio*; & quotuplex? ejus vero objectum *phænomenon*, ſi illud ipſum objectum abſque noſtro labore tale exſiſtat; *ſic ſolem mane oriri, veſpere occidere phænomenon eſt*, quod obſervamus. Obſervatio porro vel abſque inſtrumentorum ſubſidio, vel eorum ope peragitur; in priori caſu *vulgaris* eſt, in altero *artificioſa*; ſic *eclipſis lunæ vel libero oculo cum vulgo, vel cum aſtronomis adhibito teleſcopio*, ut initium, finis, ceteraque accuratiſſime adnotentur, obſervari poteſt. Si denique experientiæ objectum noſtra nobis induſtria, ac labore præparemus, *experimentum* inſtituimus; ut cum quis primo *globum aere plenum, tum eo extracto vacuum bilanci appendit, ut aeris inde gravitatem exploret*.

CXCII. Quidquid non ſentimus, illud per experientiam notum non eſt; experientia enim eſt ſcientia per attentionem ad id, quod in ſenſibus contingit, hoc eſt, ad ipſas ſenſationes comparata (§. 190.): errat igitur graviſſime, qui affirmet ſe quidpiam experiri, quod non ſentit; ut ſi quis dicat, *ſe expertum fuiſſe effluvium magneticum, quo ferrum attrahatur*. Quid vitium ſubreptionis?

Schol. Vitium hoc *ſubreptionis* nuncupari amat, committiturque ab iis, qui vel nimium imaginationi indulgent, vel neſcio qua præjudicata opinione acti, falſo ſibi perſuadent ſe aliquid experiri, quod non eſt, vel id quod per legitimum ratiocinium ex præcedente experientia deducunt, pro ipſa experientia jactitant. Atque id ipſum quoque ad experientiam internam, ſive ſenſum intimum pertinet; nam & eo in caſu facile incauti in id vitium incurrunt. Quam multi ajunt ſe intime experiri,

corpus, ejuſque membra ab anima efficienter moveri, cum tamen aliud non ſentiant, quam, quod eo quaſi momento, quo anima vult, talis in corpore motus contingat; alii autumant diffuſionem animæ per totum corpus ab experientia ſibi certiſſimo conſtare; at miſerrime hallucinantur, jam enim oppoſitum obtinere ſatis notum eſt inter philoſophos.

De quibus datur experientia?

CXCIII. *Experientia eſt de rebus duntaxat ſingularibus*; ea enim tantum experimur, quæ in organa ſenſoria agunt (§. 190.); hæc vero omnia exſiſtunt, quod enim non exſiſtit, neque agere poteſt: porro quidquid exſiſtit, individuum, ac ſingulare eſt (§. 59. ſchol.): igitur res duntaxat ſingulares ſub experientiam cadunt.

Coroll. 1. Qui univerſalia ſe experiri aſſerit, a vitio ſubreptionis immunis eſſe nequit.

Coroll. 2. Qui per experientiam quidpiam demonſtrare nititur, adferat, neceſſe eſt, caſum ſingularem, in quo id expertus ſit, niſi is plane obvius, omnibuſque per ſe notus ſit.

Quomodo ope experientiæ cognitiones univerſales obtinentur?

Schol. Etſi vero judicia noſtra in experientia fundata de ſe ſingularia ſunt, facile tamen in univerſalia commutantur. Si videlicet plures, ac diverſi obſervationum caſus inter ſe conferantur, notenturque ea, quæ omnibus communia ſunt, levi negotio inde per abſtractionem (§. 61.) propoſitiones univerſales eſformari, ſicque ope experientiæ cognitiones etiam univerſales obtineri poſſunt. Plura hic non addo, quæ enim in inſtituendis experimentis, machinarumque uſu obſervanda ſint, in phyſicæ prolegomenis doceri debent.

Quid ſcientia actualis, & habitualis?

CXCIV. Scientia denique vel *actualis* eſt, quando eam præſens perceptio convenientiæ, aut repugnantiæ idearum comitatur; vel *habitualis*, cum mens nunc quidem actu hanc

idea-

idearum relationem non percipit, ob memoriam tamen ejus perceptionis præteritæ ita eſt comparata, ut quotieſcumque eædem ideæ recurrunt, veritatem indubitanter agnoſcat, aſſenſumque, vel diſſenſum abſque omni formidine, aut errandi periculo præſtet.

Coroll. Quivis igitur ſcit omnes veritates, quas in memoria quaſi reconditas habet, vi evidentis perceptionis præteritæ, in qua mens, quoties ſuper eas reflectit, cum maxima fiducia innititur.

Schol. Neque hoc ullo jure in dubium vocari poteſt; cum enim intellectus noſtri tanta ſit brevitas, ut pauciſſima ſolum uno eodemque tempore clare, & diſtincte concipere liceat, profecto magna admodum noſtra ignorantia foret, ſi non ſciremus, niſi id, quod actu cogitationum noſtrarum objectum agit; quique doctiſſimus inter homines habetur, ac plurimum ſcire putatur, vix unam, & alteram veritatem, quot videlicet ſimul in mente complecti poſſet, reapſe ſciret.

CXCV. Scientia habitualis rurſum duplex eſt; vel enim ut primum veritates olim perceptæ recurrunt, mens ſimul mutuam idearum relationem clare & diſtincte pervidet; vel vero iis recurrentibus mens quidem de iiſdem ſe antea fuiſſe convictam meminit, nullo tamen modo rationes, argumentaque revocare in memoriam poteſt. Quotuplex habitualis?

Schol. Primum contingit in omnibus veritatibus, quas intuitive ſcimus (§. 189.); tum enim uno intuitu idearum recurrentium convenientia, aut repugnantia clariſſime perſpicitur: alterum vero in iis fere obtinet veritatibus, quas olim demonſtrative ſcivimus; proniſſimum enim eſt, ut iis recurrentibus earum ſimul demonſtratio menti non recurrat; ſic

qui

qui certo recordatur, ſe olim demonſtrative ſciviſſe: animam eſſe ens ſimplex, ſcit eam veritatem, quoties ea in mentem venit, ac nullo modo de ea dubitare poteſt, etſi demonſtrationis amplius non meminerit. Eſt porro hæc veri nominis ſcientia; quantumvis enim convenientiam inter ideas animæ, entiſque ſimplicis illarum idearum adjumento, quarum ope eam olim detexi, nunc non perſpiciam, ſubingrediuntur tamen in earum locum aliæ ideæ mediæ, quæ mihi non minus infallibiliter, licet fortaſſis minus perſpicue dictam convenientiam actu oſtendunt, quemadmodum impreſſionem magis vivacem ſentio, dum rem actu video, quam cum ſolum me vidiſſe recordor: immutabilitas nimirum atque æternitas veritatum univerſalium efficit, ut mihi evidenter conſtet, nunc a vero abeſſe non poſſe id, quod olim verum fuit. Profecto niſi res ſe ita haberet, nulla geometrarum demonſtratio pro omnibus univerſim caſibus valeret; quælibet enim per ſe ad ſingularem circulum, vel triangulum &c. in charta depictum reſtringitur, neque ſuam univerſalitatem aliunde, quam ab immutabili, ac æterna circulorum, vel triangulorum &c. relatione accipit: & quis aſſerat inſignem mathematicum neſcire propoſitiones olim a ſe in librum congeſtas, demonſtrataſque, propterea quod ipſarum demonſtrationum jam non meminerit? Id tamen conſequens foret, niſi eum defectum immutabilis idearum inter ſe relatio, quam ſe aliquando clare, & diſtincte percepiſſe certo recordatur, abunde ſuppleret. Atque hoc memoriæ teſtimonium ita neceſſarium eſt, ut abſque eo potior hominum pars aut ad ſcepticiſmum declinare, aut ſingulis fere momentis ſententiam ſuam mutare cogeretur, quoties nimirum quædam opponi audit, quibus plene ſatisfacere vitio memoriæ rationes olim perſpectas non ſuggeren-

gerentis, extemplo nequit. Diſſimulandum tamen non eſt multorum in erroribus pertinaciam inde potiſſimum oriri, quod de ſententia ſemel apud ſe ſtabilita decedere nolint; verum id non inde provenit, quod memoriæ confidant in iis rebus, de quibus rectum olim judicium formarunt, ſed potius, quod antequam eas examinaſſent, judicium tulerint, qui enim pertinaciſſime ſuæ ſententiæ adhærent, fere ii tantum ſunt, qui nullum umquam ſerium examen inſtituerunt, quique ad tuendam quibuſcumque ſumtibus receptam a ſe ſententiam hac una ratione impelluntur, quod numquam aliter judicaverint. Quare, ubi res fuerint majoris momenti, non ſoli ſemper memoriæ fidendum; ſed rationes etiam ipſæ denovo in examen vocandæ ſunt. Id quod præcipue uſu venit; cum in probabilibus ſolum verſamur; vix enim ullus umquam certus eſſe poterit, ſe omnia rationum momenta tam pro ſtabilienda, quam infringenda opinionis probabilitate ſufficienter expendiſſe.

CAPUT II.

DE

PROBATIONE, ET DEMONSTRATIONE.

CXCVI. Ideæ mediæ, quarum ope convenientia, aut repugnantia duarum idearum detegitur, veritatem *probare* dicuntur; igitur *probatio* generatim accepta eſt talis talium idearum mediarum diſpoſitio, ut ejus ope relatio, quam aliæ duæ ideæ ad ſeſe habent, reluceat. Enunciationes ex illis ideis mediis conformatæ, quibus velut totidem fulcris omnis

Quid probatio, ejuſque principia?

nis innititur probatio, ejus *principia* nuncupantur.

Coroll. Cum idea media utimur, ratiocinamur (§. 121.); ratiocinium porro per argumentationem cum aliis communicamus (§. 127.): igitur omnis probatio argumentando conficitur.

Schol. Utimur fere in probationibus noſtris ſyllogiſmis, quorum præmiſſæ ipſæ ſunt principia, etſi id neceſſe non foret; quævis enim argumentationis ſpecies æque ſervire poſſet. Perinde vero eſt, ſeu unus, ſeu plures adhibeantur. Quandoque nimirum rei veritas unico ſyllogiſmo conficitur, alias non item; quo in caſu polyſyllogiſtica (§. 144.) argumentandi forma in auxilium vocanda eſt.

Quotuplex probatio? CXCVII. Principia probationis vel ſunt *certa, ac evidentia*, vel *incerta*, attamen *probabilia*, vel denique ſolum *precaria*, id eſt, talia, quæ aut omni ratione deſtituuntur, aut ſine probatione aſſumuntur: in primo caſu habetur *demonſtratio*; in altero *probatio probabilis*; in ultimo nulla. *Demonſtratio* igitur eſt probatio ex principiis certis, ac evidentibus ducta.

Quid demonſtratio?

Coroll. 1. Demonſtrationis principia non ſunt, niſi propoſitiones evidentes, quales ſunt definitiones, axiomata, poſtulata, experientiæ certæ, ac propoſitiones jam demonſtratæ.

Coroll. 2. Demonſtratio impertit veritati evidentiam; cum enim concluſio contineatur in præmiſſis (§. 125. cor. 3.), nequit illa non eſſe evidens, ſi hæ ſint; ſed in demonſtratione præmiſſæ ſunt evidentes: igitur & concluſio; atque concluſio ipſa eſt veritas demonſtranda: ergo veritas demonſtrata ſive per demonſtrationem fit evidens. Evidentiam porro hanc mediatam eſſe patet: (conf. §. 165.).

Co-

Corоll. 3. Propoſitio evidens falſa eſſe nequit (§. 166.); cum igitur propoſitio demonſtrata fiat evidens, ut ea falſa ſit, abſolute repugnat; ac proinde, ſi quidpiam, quod a nonnullis demonſtratum dicitur, falſum eſſe ſubinde detegatur, ea demonſtratio illegitima, atque ad paralogiſmos ablegandа erit.

Schol. Duplici potiſſimum ex capite demonſtratio illegitima evadit; vel enim vitium formæ, quod quidem rarius contingit, in argumentando admittitur; vel quod longe frequentius eſt, propoſitioni dubiæ, precariæ, aut plane falſæ inter principia locus datur. Exempla ejus rei complura tam in veterum, quam recentiorum philoſophia proſtant, ut cum VVolfius Leibnitii inſiſtens veſtigiis, cumque eo alii plurimi ejuſdem ſectæ fautores demonſtrant mundum hunc eſſe omnium poſſibilium abſolute optimum; Dei, hominumque voluntatem in actionibus, quas ſenſus intimus liberas eſſe teſtatur, egere ratione ſufficiente externa; non dari poſſe neque per Dei omnipotentiam duo perfecte ſimilia &c. quæ tamen omnia ab aliis ſolidiſſimis argumentis refutantur. Opera igitur danda eſt, ut nullis niſi certis, ac evidentibus principiis utamur; cavendum, ne ex majorum ſolum inſtituto, aut aliorum auctoritate, aut longiſſimi temporis uſu axiomatibus adnumeremus ea, quæ vere inſe talia non ſunt; in conſtituendis definitionibus nominalibus ab uſu vocabulorum recepto non recedendum, ipſaque rei poſſibilitas clare evincenda (§§. 86. cum ſchol. §. 87. ſchol.): in realibus vero ſolide comprobandis vires omnes impendendæ. Accidit tamen nonnumquam, ut principiis dubiis, aut etiam falſis uti tuto liceat, quando videlicet congrediendum nobis eſt cum determinato quodam adverſario, qui ea in certis, ac evidentibus habet: tum vero Κατ' ἄνθρωπον argumentari di-

ci-

cimur; ſic veteres Chriſtiani ex libris Triſmegiſti, Sybillarumque oraculis potiſſimam partem ſuppoſitis idololatriam impugnarunt, quod ad ea veluti genuina, ac prope divina ipſi gentiles provocarunt.

Quotuplex demonſtratio? CXCVII. Demonſtratio eſt a *priori*, cum principia, ex quibus ea petitur, rem demonſtrandam vel actu, vel ſaltem cogitatione noſtra antecedunt; ut ſi *ex ſimplicitate animæ humanæ ejus incorruptibilitatem demonſtres*. *A poſteriori* vero, cum principia rem demonſtrandam conſequuntur, qualis eſt demonſtratio *Dei exſiſtentis ex rebus creatis*.

Coroll. 1. Cauſſa ante effectum, eſſentialia rei ante attributa, hæc ante reliqua, quæ rei conveniunt, concipiuntur: igitur omnis demonſtratio ex his principiis ducta eſt a priori, quales ſunt pure geometricæ, & complures metaphyſicæ.

Coroll. 2. Demonſtrationem a poſteriori habebis, ſi ab effectu ad cauſſam, vel ab attributis ad eſſentialia argumenteris, & univerſim, quoties per experientiam aliquid demonſtras; nam experientia non niſi de effectibus datur (§. 193.).

Quid directa? CXCIX. Demonſtratio dicitur *directa*, ſeu *oſtenſiva* cum ex ipſa idea ſubjecti evincitur eidem convenire, vel repugnare prædicatum; ut cum ſic arguis: *ens neceſſarium eſt æternum; ſed Deus eſt ens neceſſarium: ergo Deus eſt æternus*.

Quomodo condenda? Schol. Demonſtrationem directam conditurus primo ideam diſtinctam, ac completam tam ſubjecti, quam prædicati, propoſitionis demonſtrandæ animo informet, eamque per legitimam definitionem exprimat; tum eliciat inde axiomata, aut recepta alioquin, atque ad præſentem materiam accommodata, uti &

pro-

propoſitiones, ſi quibuſdam egeat, alias jam demonſtratas conquirat: hæc denique omnia in polyſyllogiſmum coordinet. Ita ſi demonſtrandam habeas hanc propoſitionem: *anima humana eſt incorruptibilis*: ſecundum inſtructionem datam ſic progredieris: *quod cogitat, eſt ens ſimplex* (propoſ. demonſtr. ſuo loco); *Sed anima humana cogitat* (defin. animæ): *ergo anima humana eſt ens ſimplex*; *ens ſimplex non habet partes* (defin.); *ſed anima humana eſt ens ſimplex* (concluſ. præc.): *ergo anima humana non habet partes*; *quod non habet partes, non poteſt reſolvi in partes* (axiom.); *ſed anima humana non habet partes* (concluſ. præc.): *ergo anima humana non poteſt reſolvi in partes*: *quod non poteſt reſolvi in partes, eſt incorruptibile* (defin. incorruptibilis); *ſed anima humana non poteſt reſolvi in partes* (concluſ. præc.): *ergo anima humana eſt incorruptibilis*, quod erat demonſtrandum.

CC. Demonſtratio *indirecta*, ſive *apogogica*, vel *deductio ad abſurdum* fit, cum contradictoria propoſitionis demonſtrandæ interea ut vera aſſumitur, atque ex ea legitime argumentando concluſio denique manifeſte abſurda deducitur; ſic ſit demonſtranda indirecte hæc propoſitio: *Deus eſt æternus*; primum ejus contradictoriam pone eſſe veram: *Deus non eſt æternus*: tum vide, quæ concluſiones ex hac legitime profluant; igitur *Deus non ſit æternus*: *ergo non ſemper fuit*: *ergo habuit initium exſiſtendi*: *ergo eſt productus*: *ergo vel a ſe, vel ab alio*: utrumque vero eſt evidenter abſurdum; nam ſi a ſe eſt productus, *aliquando ſimul exſtitit, & ſimul non exſtitit*: ſi ab alio: *Deus eſt creatura*. Quid indirecta, & quomodo concludenda?

CCI. *Demonſtratio indirecta invicte conficit veritatem propoſitionis demonſtrandæ*; cum enim con- An invicta.

concluſio falſa, & abſurda legitime deducatur ex contradictoria propoſitionis demonſtrandæ (§. præc.), neceſſe eſt, ut ea contradictoria ſit falſa (§. 125. cor. 3. can. 2.); porro ex falſitate unius contradictoriæ certo infertur alterius veritas (§. 156. ſchol. l. 3. cor. 1.): igitur vi demonſtrationis indirectæ modo prorſus non fallibili elucet veritas propoſitionis demonſtrandæ.

Quod utriuſque diſcrimen? Schol. In eo tamen hæc demonſtratio a præſtantia directæ deficit, quod intellectum veritatis perſpiciendæ avidum non ſatis illuminet; neque enim oſtendit, quare, aut quomodo res ſit vera; ſed ſolum falſam non eſſe irrefragabiliter evincit, atque adverſarium eas in anguſtias conjicit, ut aut evidenter abſurda admittere, aut veritatem pertinaciter adhuc negatam fateri cogatur. Atque inde eſt, quod ejuſmodi demonſtratione non facile utamur, ubi directa in promtu eſt, aut illam cum hac conſociemus, ut majus veritati pondus accedat; quando præſertim de rebus majoris momenti quæſtio inſtituitur.

Quid circulus in demonſtrando? CCII. *Circulus vitioſus*, vel *circulus in demonſtrando* comittitur, cum una propoſitio per alteram demonſtratur, ita videlicet, una alterius principium agat, & viciſſim: ut ſi quis *ex ſpiritualitate animæ humanæ ejus immortalitatem*, & deinde *ex immortalitate ejuſdem ſpiritualitatem* demonſtrare niteretur.

Schol. Cum demonſtratio brevis eſt, hoc vitium facile in omnium oculos incurrit, atque inde grande periculum non eſt, ut illud præſertim ab eruditioribus committatur; at vero ubi longiori ratiocinio opus eſt; ubi quæſtiones ſuis in locis ſeparatæ pertractantur, perſæpe contingit, ut viri etiam doctiores poſt multas demonſtrationum ambages rurſus eo redeant,

deant, unde primum exorſi ſunt. Quot enim infallibilitatem ſenſus communis a ſumma Dei bonitate, veriloquio, ceteriſque ejus perfectionibus deducunt, & tamen ubi deinde de ipſa Dei exſiſtentia demonſtranda agitur, ſenſu communi tamquam infallibili veritatis argumento utuntur? quis Carteſium ab hoc vitio immunem pronunciet, cum primum ex idea clara, & diſtincta Deum exſiſtere; tum vero ex Dei exſiſtentis bonitate ideam claram, & diſtinctam fallere non poſſe demonſtravit? ſed hæc alias: nunc res tironum exigit, ut ea adferantur, quæ ad demonſtrationes legitimas condendas ſcitu ſunt neceſſaria, quæ quidem ejuſmodi ſunt (uti & ea, quæ adhuc a §. 198. de demonſtratione nominatim diximus), ut nullo negotio, paucis ſolum mutatis, ad quamvis in genere probationem applicari poſſint.

Leges Demonſtrationis.

1.) *Status quæſtionis quam accuratiſſime determinetur*; ſecus enim in incerto omnis vagabitur oratio. Sapientiſſime Tullius: „ Omnis enim, quæ a ratione ſuſcipitur de re aliqua inſtitutio debet a definitione proficiſci, ut intelligatur, quid ſit, id, de quo diſputetur. „ Id vero obtinetur 1. accurata vocabulorum definitione; 2. diviſione quæſtionis propoſitæ in ſuas partes, ſi quas habeat; 3. reſecando ea, quæ aut certo falſa, aut certo vera, aut huc non pertinere, aut prorſus inutilia eſſe perſpiciuntur; 4. his præſtitis corrigendo quæſtionem propoſitam, & ſimpliciſſimis, quantum fieri poteſt, terminis exprimendo; 5. ſubordinando, ſi plures remaneant, quæſtionis partes, ita ut eæ præcedant, quarum demonſtratio aliis evincendis inſervit, ſingulæque ſeorſum, ac ſuo in ordine pertractentur. Proferamus exemplum:

De off. l. 1. c. 2.

plum quæritur in metaphyſica, *utrum anima humana ſit immortalis:* definienda igitur primum *immortalitas*, quod ſit perpetua non tantum exſiſtentiæ, ſed etiam vitæ duratio; tum dividenda in *eſſentialem*, *naturalem*, & *gratuitam*. Jam ulterius examinando facile deprehendes, eſſentialem immortalitatem animæ humanæ certo non competere; num vero mere gratuita eidem conveniat, ex ſola Dei revelatione certo ſciri poſſe: reſecabis igitur has duas partes, illam, ut per ſe certam; hanc ut ad metaphyſicam non pertinentem, ac quæſtionem ſimpliciſſime ſic enunciabis: *utrum anima humana ſpectatis ſuis proprietatibus naturalibus ſit æternum exſtitura & victura?* En ſtatum quæſtionis, in qua cum duæ adhuc partes remaneant, ſingulæ ſeorſum demonſtrandæ erunt, & priori quidem loco *exſiſtentia perpetua*; tum denique *vita*, quæ abſque illa eſſe non poteſt. Summi hæc lex momenti eſt, proptereaque altiſſime omnium mentibus infigenda; frequentiſſime enim ſolum ob ejus neglectionem ad veritatem non pervenitur, liteſque inanes longiſſimo tempore inter philoſophos aluntur. Exemplo eſt quæſtio illa Carteſianos inter, ac Peripateticos tanta animorum, laterumque contentione agitata: *num calor in igne ſit, an in nobis* (vid. §. 83. ſchol. n. 3.).

2.) *Conſtituto quæſtionis ſtatu attente expendendum, quid fortaſſis ipſa in re jam notum ſit, atque ab eo inchoandum;* ut enim teſte Tullio „ Admirabilis quædam eſt continuatio, serieſque rerum, ut alia ex aliis nexa, & omnes inter ſe aptæ, colligatæque eſſe videantur: „ ita veritatum tam arcta eſt inter ſe colligatio, ut ex una, etſi prima fronte leviſſima videatur, complures graviotis momenti ſucceſſive profluant: quare eorum, quæ in quæſtione jam nota ſunt, habitudo,

De nat. Deor. l. 1, c. 4

tudo, relatioque ad incognita diligentiſſime indaganda eſt. Præclare hanc in rem monet Carteſius: „ Plurimum intereſt cogitationes „ noſtras certo ordine promovere, incipien- „ do ſcilicet ab iis rebus, quæ cognitu no- „ bis ſunt faciliores, atque ex his paullatim, „ ac veluti per gradus ad difficiliorum, ma- „ giſque abſtruſarum inveſtigationem progre- „ diendo &c. &c. „ *De meth. n. 2.*

3.) *In toto demonſtrationis progreſſu eadem conſervetur evidentia*; tum enim ſolum propoſitio demonſtranda evidentiam conſequitur, qui tamen demonſtrationis finis eſt (§. 197. cor. 2.), cum ea ex principiis evidentibus evidenter profluit; id quod fieri nequit, ſi, antequam ad ultimam concluſionem perveniatur, evidentiæ filum rumpatur. Opera igitur danda, ut mens in quolibet paſſu, quem ratiocinando facit, ſimplici intuitu convenientiam, aut repugnantiam ideæ mediæ cum extremis pervideat, quin neceſſe ſit ad novas ſemper, & novas ideas medias recurrere, ut ea palam fiat. Hoc qui negligunt, in errores graviſſimos facile præcipites eunt; ubi enim evidentiam ſecuriſſimum viæ comitem dimiſerunt, tenebris involvuntur, & veritas quandoque detecta non tam induſtriæ, aut ingenio, quam caſui fortuito debetur. Id periculi ſubeunt illi, (ut de iis taceam, qui falſas propoſitiones ſubrepere patiuntur) qui nimio verborum ornatu delectari, ſtiloque copioſo, ac prope declamatorio uti ſolent; fit enim hac ratione, ut mens ſpecioſis verborum phaleris diſtracta id, quod maxime deberet, non videat, ipſumque ei evidentiæ lumen prorſus diſpareat. His illud Tullii dictum velim: „ Omne, quod de re bona di- „ lucide dicitur, mihi præclare dici vide- „ tur. Iſtiuſmodi autem res dicere ornate „ velle, puerile eſt; plane autem, & per- „ ſpi-

„ ſpicue expedire poſſe, docti, & intelligen„tis viri. „

4.) *Demonſtratio tentanda non eſt, ubi ſucceſſus prudenter ſperari nequit;* ſecus enim oleum perdes, & operam. Accidit id 1. cum quæſtio reſolvenda poſtulat ſcientias, in quibus quis verſatus non eſt; ſic actum agit, qui geometriæ expers ad reſolutionem aſtronomicorum, aut phyſicorum problematum aggreditur. 2. Cum deſunt adjumenta, ac neceſſaria ratiocinandi principia, ut in rebus phyſicis, naturalique corporum conſtitutione inveſtiganda nobis frequenter uſuvenit. Atque inde non continuo in falſis habenda ſunt, quæ demonſtrari nequeunt, neque res ideo duntaxat negari poteſt, quod modus, quo ea fiat, ignoretur; tenenda potius eſt in his, ac ſimilibus decantata S. Auguſtini regula: *tene certum, dimitte incertum*. Quo & illud ſpectat, ut non exigatur major demonſtrationis certitudo, ac evidentia, quam objectum, circa quod ea verſatur, admittat; ſic utique in rebus naturalibus non oportet certitudinem, ac evidentiam metaphyſicam quærere, cum eæ res per naturam ſuam non ſint niſi phyſicæ capaces. 3. Cum res pertractantur, quæ limitatas humani intellectus vires excedunt, qualia ſunt myſteria a Deo nobis revelata, quæ propterea a nobis quidem infallibiliter credi poſſunt; ſciri non poſſunt: quare inſignis temeritatis reum ſe facit, qui in iis evidentiam, ac demonſtrationem poſtulat. In his, ut rurſum ſapienter monet S. Auguſtinus: *tota ratio facti eſt potentia facientis*, tenendumque certiſſime, Deum efficere plus poſſe, quam nos brevi noſtro intellectu aſſequi. Errant proinde graviſſime profani illi, qui rationem humanam adæquatam rerum credendarum regulam conſtituunt, noluntque inter ſacroſancta religionis myſteria

lo-

locum concedere iis rebus, quas lumine ſolum naturali inveſtigare, ac perſpicere nequeunt.

CCIII. Polyſyllogiſmus duplici modo conſtruitur (§. 144.): cum igitur in demonſtratione potiſſimum polyſyllogiſmus adhibeatur (§. 196. ſchol.), patet eam quoque duplici modo conficeri poſſe. Quot modis fit demonſtratio

Schol. Nimirum vel propoſitio demonſtranda eſt concluſio primi ſyllogiſmi, ejuſque præmiſſarum una fit concluſio ſequentis, idque eo uſque continuando, dum denique ad principia univerſalia, & per ſe evidentia perveniatur: vel ab oppoſito principia illa univerſalia primo loco collocantur; eaque fit progreſſio, ut ſemper concluſio præcedentis ſyllogiſmi fiat præmiſſa ſequentis, donec tandem ipſa propoſitio demonſtranda in concluſione ultimi ſyllogiſmi inferatur.

CCIV. Demonſtratio primo modo confecta propoſitionem ſingularem, & compoſitam, cujus veritas quæritur, reſolvit in ſua principia, ideoque *analytica*: altera ex principiis univerſalibus, & ſimpliciſſimis componendo deſcendit ad propoſitionem compoſitam, & ſpecialem demonſtrandam, ideoque *ſynthetica* appellatur. Quid analytica, & ſynthetica?

Schol. Exemplum demonſtrationis ſyntheticæ habes (§. 199. ſchol.), quam ſi inverſo ordine legas, obtinebis analyticam. Ceterum res tota eleganter illuſtrari poteſt duobus illis mentis actibus, quorum unum abſtractionem (§. 61.), alterum compoſitionem (§. 62.), compellavimus; ſicut enim per abſtractionem ab idea ſingulari ad univerſalem aſcendimus, atque hac ratione ideam ſingularem in ſuas partiales, ex quibus ea coaleſcit, reſolvimus; & ſicut per compoſitionem viciſſim ab idea uni-

verſali ad ſingularem deſcendimus: ita cum proportione hic circa veritates verſamur, progrediendo nimirum a ſpecialibus ad univerſales per analyſin, & ab his per ſyntheſin ad illas regrediendo.

Quid methodus, CCV. Cum propoſitio demonſtrata falſa eſſe nequeat (§. 197. cor. 3.), demonſtrationis ope & ad veritatem infallibiliter pervenimus, & eamdem aliis patefacimus; omnis igitur legitima demonſtratio artem cogitationes ita diſponendi, ut vel veritas latens detegatur, vel inventa cum aliis communicetur, in ſe complectitur. Ars hæc vulgo *methodus* nuncupatur.

& quotuplex? Coroll. Qui callet artem demonſtrandi, callet quoque methodum; cumque demonſtratio ſit vel analytica, vel ſynthetica (§. 204.), talis quoque eſt methodus.

Quis utriuſque uſus? Schol. Cum veritatem nondum notam quærimus, utimur methodo analytica; tum enim inveſtiganda ſunt principia evidentia, ex quibus propoſitio data legitime profluit. Cum vero veritatem jam a nobis inventam cum aliis communicamus, ſive cum alios docemus, ſynthetica fere in uſu eſt, propterea quod principia univerſalia, & immediate evidentia nullo negotio a quovis intellectu perſpiciuntur; quare dum ab his inchoamus, ac ſenſim ad veritates magis compoſitas deſcendimus, id obtinemus, ut diſcentem a facilioribus ſucceſſive ad difficiliora, a ſimplicibus ad magis compoſita, quaſi per gradus ducamus, efficiamuſque, ut iis ea facilitate, ac claritate, qua principiorum veritatem perſpexit, ſpecialem quoque illam veritatem, de qua agitur, intime pervideat. Sed facile patet deſcenſum hunc debere eſſe omnino lentiſſimum, ut nimirum ex principio non inferatur, niſi id, quod primo loco, & immediate ex eo profluit; ita enim ſo-

lum

lum concluſionis cujuslibet cum ſuo antecedente connexio, quanta fieri poteſt, evidentiæ vivacitate diſcentis mentem afficiet. Qui id in primis curis non habet, quique adeo ex principio aſſumto ad concluſionem remotiorem omiſſis mediis veluti per ſaltum tranſvolat; numquam conſequetur, ut veritas tota ſua luce auditoris intellectum perſtringat. Multa ſunt præterea, quæ de methodo a philoſophis præcipiuntur, ſed præcepta accumulare non placet; ego enim ſic ſentio, quæ præter ea, quæ adhuc de demonſtratione condenda copioſe dicta ſunt, requiruntur, longiori uſu, & exercitatione, tum aſſidua librorum ſcientificorum lectione, tum & præcipue quidem algebræ, ac geometriæ ſtudio & facillime, & ſolidiſſime, quin etiam unice condiſci poſſe.

CAPUT III.

DE PROBABILITATE, ET OPINIONE.

CCVI. Cum indicia veritatis ſufficientia non adſunt, aderunt vel inſufficientia, vel nulla penitus: qui indicia ſufficientia perſpicit, *certus* eſt de veritate; qui inſufficientia: *incertus* (§. 161.); qui nulla: eamdem prorſus *ignorat*. *Quis certus, incertus, & ignorans?*

Coroll. Incertitudo igitur eſt ſtatus mentis medius inter certitudinem, ac ignorantiam, atque iiſdem extremis veluti limitibus circumſcribitur.

Schol. Ignorantiam hic ſolum ut limitem incertitudinis conſidero, ſuſius de ea, ejuſque cauſſis agetur in capite 6to. Nonnullis hanc

ignorantiam *dubium negativum*, atque illud, de quo paullo poſt dicam, *poſitivum* compellare placet; at hi quidem in ſuo ſenſu abundent; neque enim ulli de vocabulo litem movebo: mihi interea, & vocum proprietati, & uſui recepto hac nomenclatione magis conſuli videtur; etenim licet in hoc caſu adſit judicii retentio, ea tamen propterea tantum neceſſario fit, quod, quid judicandum ſit, ignoretur, & nemo profecto rogatus, quid de ſtellarum numero ſentiat, an par ſit, an impar? reſpondebit ſe de eo *dubitare*, ſed potius quam promtiſſime reponet, ſe id *ignorare*.

Quæ incertitudinis diviſio? CCVII. Indicia veritatis inſufficientia ſunt, quæ quandoque fallunt (§. 160.): jam vero attendenti clarum eſt, fieri poſſe, ut vel ſæpius non fallant, quam fallant; vel ut ex æquo toties fallant, quam non fallant: vel denique ut ſæpius fallant, quam non fallant. Inde triplex oritur incertitudinis ſtatus, videlicet in primo caſu *probabilis*; in altero *dubius*, in ultimo *improbabilis*.

Coroll. Probabilitas igitur intra certitudinem, & dubium concluditur, atque ab hoc ad illam uſque creſcit; improbabilitas vero intra dubium, ac ignorantiam continetur, ac pariter ab eo ad hanc continue augetur.

Quid enunciatio probabilis, dubia, & improbabilis? CCVIII. Ut certitudo ad ipſa judicia, ſive propoſitiones refertur, indeque objectiva compellari ſolet (§. 163.), ita nihil vetat, quo minus incertitudo quoque in iiſdem ſpectetur: datur igitur propoſitio *in ſe*, vel *quoad ſe*, vel *objective incerta*, eaque vel eſt *probabilis*, cum videlicet pro ejus veritate adſunt indicia haud quidem ſufficientia, attamen talia, quæ ſæpius non fallunt, quam fallant; vel *dubia*, cum ejus indicia toties fallunt, quam non, ſive quod idem eſt, cum pro u-

tra-

traque contradictionis parte rationes pugnant æque graves; vel *improbabilis*; quando indicia ſæpius fallunt, quam non.

Quomodo probabilitas a veritate; improbabilitas a falſitate diſtinguitur?

CCIX. *Probabilitas cum veritate; improbabilitas cum falſitate propoſitionis confundi non debet.* Ad probabilitatem ſufficit, ut ea adſint indicia, quæ ſæpius non fallunt (§. præc.): inde vero nequaquam ſequitur eadem indicia in præſente hoc, ac determinato caſu non fallere, quod tamen ad propoſitionis veritatem requiritur, ut per ſe patet. Viciſſim improbabilitas oritur ex indiciis, quæ ſæpius fallunt (§. cit.); rurſus vero nullo modo neceſſe eſt, ut indicia, quæ quidem alias etiam ſæpiſſime fallunt, in determinato hoc quoque caſu fallant, quod tamen ad propoſitionis falſitatem deſideratur, ut iterum notum eſt: aliud igitur eſt propoſitionem eſſe probabilem, aliud eſſe veram; & aliud propoſitionem eſſe improbabilem, aliud eam eſſe falſam, ac proinde etiam probabilitas cum veritate, & improbabilitas cum falſitate propoſitionis confundi non debet.

Coroll. 1. Igitur etiam propoſitio probabilis poteſt quandoque eſſe falſa, & contra improbabilis vera; ſi nimirum ibi indicia actu fallant; hic actu non fallant.

Coroll. 2. Inde numquam propoſitioni probabili, ut veræ, adhærendum; neque improbabilis abſolute ut falſa reſpuenda eſt.

An gradus in probabilitate, & improbabilitate?

CCX. *Probabilitas, ac improbabilitas admittunt gradus*; cum enim illa a dubio ad certitudinem; hæc a dubio ab ignorantiam uſque conſtanter creſcat (§. 207. cor.), evidens eſt, eo majorem fore probabilitatem, vel improbabilitatem, quo magis ad certitudinem, vel ad ignorantiam acceditur; ſed hoc eſt habere gradus: igitur probabilitas, ac improbabilitas certis gaudent gradibus.

Coroll. 1. Dantur ergo propoſitiones magis, aut minus probabiles, vel improbabiles.

Coroll. 2. Propoſitio, quæ minimum diſtat a certa, habet ſummum probabilitatis gradum.

Coroll. 3. Quo indicia rarius fallunt, eo magis accedunt ad ea, quæ numquam fallunt, id eſt, ad ſufficientia: igitur etiam in genere eo probabilior eſt propoſitio, quo rarius fallunt indicia, quæ pro ejus veritate pugnant.

Coroll. 4. Inde etiam ab oppoſito eo improbabilior eſt propoſitio, quo frequentius ejus indicia fallunt; & ſupremus improbabilitatis gradus habetur, cum quis quam proxime abeſt ab ignorantia.

Schol. Quo plura, atque firmiora adſunt veritatis indicia, eo etiam experientia teſte rarius fallunt; hinc generatim, ut inter probabiliores haberi poſſit propoſitio, neceſſe eſt, ut vel plura, vel ſaltem in pari numero firmiora habeat indicia. Recte igitur facimus, dum, ubi ad certitudinem liquidam pervenire non datur, complura ad ſententiam propoſitam ſtabiliendam argumenta conglobamus, cum hac ratione majorem ſaltem illi probabilitatem conciliemus. Hujus rei exemplum Tullius nobis præbet tum ſæpe alias, tum præcipue in præſtantiſſima illa, quam pro Milone dixit, oratione; quas enim non rationes accumulat, quibus probabiliſſime conficiat ſtructas fuiſſe a Clodio Miloni inſidias? Id tamen hac in re probe tenendum, non tam numerum, quam argumentorum pondus attendi debere; non enim infrequens eſt, ut unicum argumentum tanti ſit roboris, ut complura etiam in partem oppoſitam infringat: pone e. c. *Cajum eam plateam ea hora, qua Titius confeſſus eſt, cum gladio cruento percurriſſe*, unum profecto adjunctum vim plurium argumentorum, quæ pro ejus innocentia adferri poſſent, infringet; ſed tamen certitudinem non efficiet, cum fieri

ſi potuiſſet, ut Cajus abjectum ab homicida enſem apprehenderit. At vero quomodo hoc argumentorum pondus, & firmitas rite dijudicari poſſit, leges quidem nonnullas ex criticorum arte deſumtas paullo poſt adferam, interea tamen fatendum eſt, habilitatem quamdam, & ſingularem mentis variis ſcientiis, & præcipue quidem mathematicis, ac criticis excultæ ſagacitatem, tum & cautiſſimam ad minima quævis adjuncta attentionem hac in re ferre plurimum præſtare; P. Buffier jam ſæpius a me laudatus hos veræ, magnæque probabilitatis characteres ſtatuit, quos noſſe e re tironum erit. 1. Cum id, quod probabile judicamus, ſummam habet cum veritatibus aliis evidentibus convenientiam. 2. Cum, etſi primum de propoſitionis cujuſdam veritate dubitemus, ea tamen ſemper magis, magiſque nobis perſuadetur, quo nimirum frequentius ſuper eam reflectimus, eamque accuratius examinamus; 3. Cum experientiæ antehac ignoratæ ſuperveniunt iis, ex quibus primum judicium tulimus. 4. Cum majori jam rerum, quas examinamus, uſu in dies comparato judicium formamus. 5. Cum judicia jam olim de rebus ejuſdem naturæ lata labente tempore vera eſſe deprehenduntur, quibus addi poteſt. 6. Cum rationes, ex quibus aliquid probabile judicamus, valde propinquam cum principiis cujuslibet diſciplinæ propriis connexionem habere videntur. Hæc de probabilitate. Quod ad improbabilitatem attinet, ſupremus ejus gradus eſt nuda rei poſſibilitas; ſi enim ſtricte loquamur, gradus hic differt ab ignorantia plena, quæ & ipſam hanc poſſibilitatem incertam ponit; interea tamen gradus hic exigui adeo momenti eſt, ut in praxi ſola poſſibilitatis cognitio, cum de probabilitate, aut improbabilitate agitur, cum ignorantia comparetur. Illud etiam hic monendum eſt, quan-

doque in ſenſu latiori probabilitatem tribui omni propoſitioni, quæ nec certitudinem attingit, nec etiam prorſus a nobis ignoratur: quo in caſu probabilitas hæc latiſſime accepta ab ignorantia ad certitudinem uſque creſcit, ejuſque infimus gradus, omnique aſſignabili minor, a quo ea initium ducit, eſt ipſa rei poſſibilitas, cum ante omnia conſtare debeat rem eſſe poſſibilem; ut tamen diſcrimen quodpiam habeatur, quando a dubio ad certitudinem aſcenditur, vocant propoſitionem *veriſimilem*, quod ea jam magis ad veritatem, quam ad falſitatem accedere videatur. Sed quidquid de hoc ſit, cavendum eſt univerſim quam maxime, ne propoſitionem ſolum poſſibilem, inter probabiles reponamus, cum fieri poſſit, ut ea ſit poſſibilis, etſi ejus indicia ſemper fallerent.

Quemodo definiendi? CCXI. *Gradus probabilitatis in caſu ſpecifici definitur, ſi determinetur, quoties poſito certo caſuum numero indicia, quæ adſunt, non fallant;* cum enim eo major ſit probabilitas, quo rarius fallunt indicia (§. præc. cor. 3.), eo magis creſcet probabilitas, ſive quod idem eſt, eo altior erit probabilitatis gradus, quo plures ſunt in determinato numero caſus, in quibus illa indicia non fallunt: ſi *ex centum obſervationibus mihi conſtaret rubedini cæli nocturna nonageſies ſucceſſiſſe ſerenam alterius diei tempeſtatem*, major foret probabilitas, *quam ſi id octogeſies tantum intra eaſdem centum obſervationes contigiſſet*; ſi quidem in priori intra centum caſus decies tantum, in poſteriori vero intra centum vigeſies illud indicium feſelliſſet.

Coroll. Univerſim igitur hæc proportio obtinet: ***probabilitas eſt ad certitudinem, ut numerum caſuum, in quibus indicia non fallunt, ad numerum caſuum omnium:*** itaque

ſuperius primo loco erit probabilitas ad certitudinem, ſicut nonaginta ad centum; ſive ut novem ad decem, ut norunt arithmetici; in altero: probabilitas ad certitudinem, ut octoginta ad centum; ſive ut octo ad decem.

Schol. Nimirum cum incertitudo (§. 206. cor.), ſive probabilitas in tota ſua latitudine accepta (ſchol. præc. fin.) concludatur inter ignorantiam, & certitudinem, totum illud ſpatium conficiendum eſt, ut ab ignorantia ad certitudinem perveniatur, & quo plus ex illo ſpatio confecerimus, eo propius ad certitudinem accedemus. Dum igitur probabilitatis gradum determinamus, aſſignamus partes in illo ſpatio confectas, quæ quo plures fuerint, eo major erit probabilitatis gradus; erunt autem eo plures, quo plures ſunt caſus in determinato numero, in quibus indicia non fallunt; ſi namque indicia nullo in caſu fallerent, haberetur certitudo (§. 160.), ſive totum illud ſpatium eſſet confectum: igitur tot gradibus ab ea receditur, quot ſunt caſus, in quibus indicia fallunt, & tantum, ſive tot gradibus viciſſim ad eam acceditur, quantus eſt numerus caſuum, in quibus ea indicia non fallunt. Unde patet, quemlibet probabilitatis gradum exprimi poſſe per fractionem, cujus numerator denotet numerum caſuum, in quibus indicia non fallunt, denominator vero numerum caſuum aſſumtorum; utimur vero facilioris calculi cauſſa fractionibus decimalibus, ad quas aliæ facile reduci poſſunt, ut in arithmetica docetur. Si igitur totum hoc, ſive ipſam certitudinem pro unitate aſſumtam ſecemus in decem partes, has obtinebimus fractiones: $\frac{10}{10}, \frac{9}{10}, \frac{8}{10}, \frac{7}{10}, \frac{6}{10}, \frac{5}{10}, \frac{4}{10}, \frac{3}{10}, \frac{2}{10}, \frac{1}{10}, \frac{0}{10}$. In hac ſerie prima fractio, quæ integræ unitati æquivalet, denotabit *certitudinem*; ultima *ignorantiam*; ſecunda vero, tertia, quarta, quinta *diverſos probabilitatis gradus* exhibebunt;

bunt; cum ſexta fractio exprimet *dubium*; reliquæ vero, nempe ſeptima, octava, nona, decima *gradus improbabilitatis varios* deſignabunt. Patet vero ex his etiam, ad hoc, ut propoſitio vero ſenſu ſit probabilis, neceſſe eſſe, ut numerator fractionis ſit major dimidio denominatore; quodſi idem numerator æquetur dimidio denominatori, indicia toties fallunt, quam non fallunt, quo caſu propoſitio eſt dubia (§. 208.), adeoque dimidiata certitudo cauſſat dubium: ubi denique numerator a dimidio denominatore ſuperatur, ultra dubium ad improbabilitatem devenitur, quæ eo magis creſcit, quo magis idem numerator minuitur, dumque is fit æqualis Zero, ipſa etiam improbabilitas exſpirat, ejuſque in locum ignorantia ſuccedit.

A priori, vel poſteriori?

CCXII. Caſus, in quibus indicia non fallunt, determinari poſſunt vel *a poſteriori*, per inductionem videlicet caſuum ſimilium, qui per experientiam hucuſque cogniti ſunt; ut *ſi decies ſtante auſtro octies ſecuta eſt pluvia, erit nunc probabilitas pluviæ ſupervenientis eodem ſpirante, ſicut* $\frac{8}{10}$. Vel *a priori*, ex diſpoſitione, & præparatione cauſſarum, ex quibus proniſſimum eſt effectum in data caſuum ſerie ſequi, vel non ſequi.

SCHOL. Cum de probabilitate eventuum futurorum agitur, in errorem admodum proclives ſumus, & res eſt periculi plena; interea tamen in uſibus vitæ quotidianis neceſſitate quadam frequenter adigimur, ut de eventibus quoque futuris judicium feramus, pendetque nonnumquam ab eo majus lucrum obtinendum, aut contra damnum evitandum. Eam in rem hæc ferre ſunt, quæ a criticis præcipiuntur, ſolentque compellari,

Le-

Leges Contingentium.

1.) *Diſpiciantur, accurateque examinentur omnia adjuncta, quæ effectus exſiſtentiam præcedere ſolent*; etenim ex iis ſolum prudenter judicari poteſt, num effectus futurus ſit, an non: „ omnis opinabilis divinatio conjectura „ nititur, ultra quam progredi non poteſt. „ Ea fallit fortaſſe nonnumquam; ſed tamen „ ad veritatem ſæpiſſime dirigit. Eſt enim „ ab omni æternitate repetita; in qua cum „ pæne innumerabiles res eodem modo eve„ nirent, iiſdem ſignis antegreſſis, ars eſt ef„ fecta eadem ſæpe animadvertendo, atque „ notando. „ Cic. de div. cap. 14.

2.) *Quod in certis adjunctis ſemper accidit, habendum eſt pro moraliter certo; quod numquam: pro moraliter impoſſibili; quod vero quandoque evenit, quandoque non, prorſus contingens eſt*, ejuſque probabilitas determinatur per accuratum caſuum, quam plurimorum examen (§. 211.); ſic deprehendimus admodum probabilem eſſe *craſtinæ tempeſtatis ſerenitatem poſita hodie ſerotina cæli rubedine*, quia hoc ſignum potiſſimum non fallit. Patet vero exinde, probabilitatem futuri eventus non infringi per hoc, quod quandoque contrarium acciderit, ac proinde etiam attentio habenda non eſt ad unum vel alterum caſum præteritum; *ſic probabilitas jactus aleæ, ſiqua eſt, non mutatur ex noto jactu præcedente*: quot tamen homines ſunt, qui ad ſimilia attendentes ita ſecum ratiocinantur: *hoc contigit: ergo nunc non continget*; & alii ab oppoſito dum negotium quodpiam ſucceſſu caruit, illud, aut ſimile quid rurſum aggredi recuſant ita inferentes: *hoc nuper contigit: igitur nunc iterum continget*. Probe igitur, univerſimque tenendum argumentum probabile

bile per exceptionem caſus particularis non infringi: ſi quis mihi aſſerenti, *hodie pluviam eſſe futuram, propterea quod mane cælum rubuit*, contradicat, aſſertique mei veritatem impugnet ex eo, *quod heri eumdem cæli ruborem pluvia ſecuta non ſit*, næ is inſignem imperitiam palam faciet, cum enim ego id probabiliter ſolum affirmem, neceſſe utique non eſt, ut nullus detur caſus, in quo contrarium accidit, ſed id tantummodo requiritur, ut ii longe pauciores ſint: hinc contradicentis munus erit oſtendere, plures longe eſſe caſus, in quibus hoc indicium feſellerit.

3.) *Contingentia non procedunt æqualiter*, id eſt: adjuncta, cauſſæque ſimiliter comparatæ ad plures diverſoſque effectus, modo hunc, modo illum producunt; nam cum in ejuſmodi cauſſa nulla detur neceſſaria determinatio ad certum effectum, æqualis eſt, ut ita dicam, determinabilitas, & conſequenter etiam ſpes ad quemlibet effectum; *ſic cum alea in ſe æqualiter ſit comparata ad quemlibet ex ſex numeris exhibendum, videmus etiam ejus jactu modo hunc, modo illum obtineri*. Atque hinc quod poteſt ex æquo fieri, aut non fieri, in innumeris adjunctis, & occaſionibus aliquando fit, aliquando non fit. Ex hac regula oſtenditur, nullo modo probabile eſſe, ut omnes homines contingenter in unum, eumdemque errorem conſpirent.

4.) *Quando in cauſſis ad plures effectus habetur æqualis diſpoſitio, probabilitas pro effectu determinato eſt ſicut unitas ad numerum reliquorum effectuum poſſibilium*: cum enim contingentia æqualiter non procedant, nullus effectus habet determinationem, ut præ altero frequentius ſequatur: ſic *cum jactus aleæ ſit æquabiliter comparatus ad omnes ſex numeros, erit probabilitas pro uno aliquo determinato ſicut unum ad ſex*, hoc eſt, fere nulla,

& me-

& mera ſolum poſſibilitas.; unde eorum patefit dementia, qui aleæ, aliiſque id genus luſibus lucri, adeo incerti ſpe impulſi, at ſimul cum ingenti jacturæ bonorum periculo operam dant.

5.) *Quando cauſſa ad plures effectus eſt æqualiter comparata, tanto major eſt unius effectus præ altero probabilitas, quo ſæpius diſpoſitiones ad eumdem effectum recurrunt*; ponamus Cajum æque comparatum ad verba *contumelioſa*, *mendacia*, *blaſphema* proferenda, certe tanto probabilius eſt, eum frequentius *contumelioſis*, aut *mendacibus* uſurum præ *blaſphemis*, quo ſæpius eorum occaſiones ſeſe offerunt; ſic quoque cum habentur duæ aleæ perfecte æquales, etſi quoad ſe probabilitas ad quemlibet numerum determinatum ex duodecim demta unitate ſit, ſicut unum ad undecim, tamen major eſt probabilitas de iis numeris obtinendis, quorum diſpoſitiones ſæpius redeunt intra ſeriem caſuum poſſibilium, ut *ſunt numeri* 6. 7. 8. *quorum diſpoſitiones ter; deinde numeri* 4. 5. 9. 10. *quorum diſpoſitiones bis recurrunt*, quia nempe numerus 6. conſtituitur per 3 + 3., 5 + 1, 4 + 2.; numerus 7. per 6 + 1. 5. + 2. 4 + 3. numerus 8. per 4 + 4. 6 + 2. 5 + 3. Numerus vero 4. tantum conſtituitur per 2 + 2., & 3. + 1. numerus 5. per 4 + 1, & 3 + 2. Numerus 9. per 6 + 3., & 5 + 4. numerus 10. per 5 + 5., & 6 + 4. hinc minima reſpective in hoc caſu probabilitas eſt pro numeris 2. 3. 11. 12. cum eorum diſpoſitiones neceſſariæ ſemel tantum recurrant; nam numerus 2. tantum conſurgit ex 1 + 1. numerus 3. ex 2 + 1. numerus 11. ex 5 + 6. & numerus 12. ex 6 + 6.

6.) *Denique improbabile cenſendum eſt fore, ut eventus contingat iis in adjunctis, quibus poſitis alias rariſſime accidere ſolet*; indicium

cium enim, quod fere ſemper fallit, nullam parit probabilitatem: ſic *metus fulminis improbabilis eſt*, cum fortaſſis ex 200000. hominum ſæpe vix unus fulmine tactus pereat. Error hinc eorum corrigi poteſt, qui in valetudine ſua curanda nimis moroſi, & cauti ſunt; & neſcio quas poſſibiles ſibi infirmitates imaginantur; angores quidem hi boni ſunt, quam diu hominem in officiis vitæ Chriſtianæ continent, ſed ubi ulterius progrediuntur, ingentibus ſæpe malis, quin & dementiæ originem præbent.

Quando probabilitas exſpirat? CCXIII. *Probabilitas propoſitionis prorſus evaneſcit, ut primum ejuſdem veritas, vel falſitas certo detegitur*; cum enim indicia ſufficientia, vel nulla adeſſe cognoſcuntur, inſufficientibus amplius locus non eſt, atque adeo omnis quoque incertitudo, ac probabilitas, quæ ex his oritur (§§. 206. 207.), exſulare debet. Et aliunde, cum probabilis non dicatur propoſitio niſi, quatenus ponuntur ejus indicia nunc non fallere, propterea quod conſtat ea frequentius non feſelliſſe, ea illico ſuam probabilitatem amittit, quando hæc hypotheſis amplius fieri nequit; ſed id contingit; cum veritas vel falſitas certo deprehenditur; tum enim patet ea indicia vel actu non fallere, vel actu fallere: quod vero conſtat vel certo eſſe, vel certo non eſſe, illud ſupponi non poteſt; nam *præſumtio cedit veritati*, ut habet notum in jure axioma: ſic evanuit probabilitas utriuſque hujus propoſitionis, *dantur antipodes*, *non dantur antipodes*, poſtquam per experientiam certam illius veritas, hujus falſitas detecta fuit.

Coroll. 1. Cum ex veritate unius contradictoriæ legitime inferatur falſitas alterius (§. 156. ſchol. l. 3. cor.), & viciſſim, detecta unius contradictoriæ veritate, aut falſitate ceſ-

ceſſat omnis alterius contradictoriæ probabilitas.

Corol. 2. Quidquid igitur ſententiæ certæ opponitur, nullam habet probabilitatem, atque adeo ea impugnari cum ratione non poteſt; *ſic cum certa ſit naturalis anima humana immortalitas*, vana ſunt deliramenta, quæcumque ab hominibus profanis contra accumulantur.

CCXIV. *Propoſitiones contradictoriæ abſolute, & ſecundum ſe ſpectatæ poſſunt ſimul eſſe probabiles; at ſi eæ inter ſe conferantur, comparatione inſtituta major unius partis probabilitas minuitur; minor vero alterius partis probabilitas deficit degenerando ad improbabilitatem.* Etenim primo negari haud poteſt, fieri poſſe, ut utraque contradictionis pars, quam diu ſeorſum, & ſecundum ſe ſpectatur, polleat iis indiciis, quæ ſæpius non fallunt; ſecus enim nulla umquam poſſet dari propoſitio dubia (§. 208.): cum agitur *de homicidio a Cajo patrato*, dari utique poſſunt & pro culpa, & pro innocentia Caji ejuſmodi indicia; ſed id, nec quidpiam amplius ad abſolutam utriuſque partis probabilitatem requiritur (§. cit.); ergo in aperto eſt, quod primo loco propoſitum fuit. Deinde vero in utriuſque collatione minui probabilitatem majorem unius per probabilitatem minorem alterius ſic oſtendo. Probabilitas pro utraque contradictionis parte æqualis in comparatione ſeſe mutuo deſtruit; oritur enim dubium (§§. 207. & 208.), in quo probabilitas expirat (§. 207. cor.): ergo etiam probabilitas minor in comparatione ſaltem æqualem ſibi partem in probabilitate majori deſtruit, atque adeo ii ſolum relinquuntur gradus, quibus ea ab hac antea excedebatur; ſed hoc ipſo minuitur probabilitas major: ergo; quod

Quomodo duæ contradictoriæ ſimul probabiles?

erat

erat alterum. Sit *pro culpa Caji probabilitas ſicut novem ad decem*, ſeu $= \frac{9}{10}$ quæ nimirum uno gradu a certitudine deficiat; ſit quoque *pro innocentia Caji probabilitas ſicut octo ad decem*, ſive $= \frac{8}{10}$ quæ duobus gradibus diſtet a certitudine: erit illa quatuor graduum; hæc trium ſupra dubium: cum igitur inter ſe conferuntur, *tres gradus hujus elident tres gradus alterius, atque adeo remanebit unicus, & probabilitas reſpectiva pro culpa Caji erit ſicut ſex ad decem*, $= \frac{6}{10}$, diſtans jam a certitudine quatuor gradibus. Denique probabilitatem minorem prorſus evaneſcere, atque ad improbabilitatem degenerare, quod tertium eſt, hac ſit ratione manifeſtum: probabilitas major ea ſui parte qua minori æquatur, eam jam prorſus elidit, & quaſi detrudit ad locum dubii; nam ſi eſſet æqualis alteri, foret dubium (§. 107.): igitur ea parte, qua minorem excedit, ipſam infra dubium deprimit; ſed infra dubium jam habetur improbabilitas (§. 207. cor.): ergo in hac colliſione minor probabilitas ad improbabilitatem degenerat. Sic in ſuperiori exemplo cum probabilitas major ſit quatuor graduum, minor trium; *tribus gradibus illius tres gradus hujus elidentur, ſicque probabilitate minore expirante ſuccedet dubium*: ſed remanet adhuc unus gradus probabilitatis majoris, qui cum etiam agat in partem oppoſitam, *uno gradu infra dubium detrudet probabilitatem minorem; erit adeo probabilitas reſpectiva pro innocentia Caji, ſicut quatuor ad decem*, $= \frac{4}{10}$, diſtans a certitudine ſex gradibus, quæ fractio jam exprimit improbabilitatem (§. 211. ſchol.).

Co-

Coroll. Cum probabilitas minor in concurſu cum majore pereat, palam eſt, actiones noſtras ſecundum eam, quæ majore probabilitate gaudet, partem moderandas eſſe; qui enim ſequeretur minus probabilem, ſequeretur ſibi improbabilem, atque adeo imprudenter ageret.

Schol. Hæc probabilitatis diminutio univerſim hac ratione detegitur. Determinetur primum abſoluta probabilitas utriuſque partis in fractionibus ejuſdem denominatoris, vel ad eumdem reducantur; tum diſtantia a certitudine, id eſt, defectus numeratoris a denominatore unius fractionis addatur numeratori alterius fractionis, & vicissim; denique denominatores ſibi invicem addantur: fractiones, quæ inde orientur, determinabunt probabilitatem, quæ propoſitionibus poſt inſtitutam comparationem convenit. Sit probabilitas abſoluta Cajum commiſiſſe homicidium $= \frac{2}{10}$, & probabilitas pariter abſoluta, Cajum non commiſiſſe homicidium $= \frac{8}{10}$ (ſi etiam hæc eſſet $= \frac{9}{10}$, foret dubium, adeoque nulla pro utraque parte probabilitas: aſſumo igitur maximam, quam fieri poteſt, probabilitatem pro contradictoria, ut ſi iſta tranſeat ad improbabilitatem, evidenter pateat omnes reliquas, cum minores ſint, in ſimili caſu quoque tranſituras.) Jam defectus numeratoris a denominatore in prima fractione eſt $= 1$, & in altera $= 2$; addantur ergo viciſſim hi defectus, ac denominatoribus additis, prodibunt fractiones $\frac{11}{20}$ & $\frac{9}{20}$, quæ expriment probabilitatem ex colliſione per comparationem facta reſiduam; erit nempe probabilitas affirmativæ, ſeu pro culpa Caji $= \frac{11}{20}$ uno ſolum gradu diſtans a dubio, adeoque octo gradibus imminuta, tot nempe, quot prius ha-

habuerat probabilitas minor: & probabilitas negativæ, ſive pro innocentia Caji erit $= \frac{9}{20}$ uno gradu depreſſa infra dubium, quo videlicet antea a majori probabilitate ſuperabatur, ac conſequenter vera improbabilitas. Ratio totius operationis hæc eſt: cum indicia, quæ pugnant pro affirmativa propoſitione, intra decem caſus ſemel fallant; caſus utique iſte favebit ſententiæ negativæ; & ab oppoſito duo caſus, in quibus rurſus intra decem caſus fallunt indicia, quæ pugnant pro negativa, favebunt affirmativæ: hinc indicia pro affirmativa ſpectari poſſunt, ac ſi intra viginti caſus undecies non fallant, & indicia pro negativa, ac ſi intra eoſdem viginti caſus novies non fallant; cum enim pro duabus propoſitionibus contradictoriis adferuntur indicia ſeorſum probabilia, ut $\frac{9}{10}$ & $\frac{8}{10}$, tum pro dijudicanda abſoluta veritate proponuntur intellectui viginti caſus, videlicet decem caſus ex parte affirmativæ, & decem alii diverſi ex parte negativæ: pro affirmativa pugnant novem caſus ex prioribus decem caſibus, & duo ex poſterioribus decem caſibus; nam cum in poſterioribus decem caſibus indicia dicantur octies non fallere, bis autem fallere, affirmativa debet intra hos decem poſteriores caſus bis vera eſſe. Igitur ex viginti caſibus novem, & duo, id eſt, undecim pugnabunt pro veritate propoſitionis affirmativæ, & reſidui, qui tantum novem eſſe poſſunt, ſtabunt pro veritate negativæ. Id tamen in hac comparatione inſtituenda notandum, eam fieri haud poſſe, niſi indicia utriuſque partis ejuſdem ſint rationis, nimirum vel omnia ex ratione, vel omnia ex auctoritate petita; ſed de his in ſequentibus.

CCXV.

CCXV. *Si in legitimo ratiocinio una pars antecedentis ſit tantum probabilis, altera certa, etiam conſequens erit ſolum probabile*; cum enim conſequens includatur in antecedente, atque propter illud verum ſit (§. 125. & cor. 3.), fieri nequit, ut conſequens majori firmitate polleat, quam totum antecedens; ſed in hoc caſu toti antecedenti non convenit certitudo: ergo neque conſequenti ea competere poteſt, reſtat igitur, ut illud ſit probabile. Et alioquin, quando abſolute certum non eſt duo convenire cum uno tertio, nec certum eſſe poteſt ea inter ſe convenire. Quando conſequens in ratiocinio probabile ſit

Coroll. 1. Igitur etiam in ſyllogiſmo, ſi una præmiſſarum ſit probabilis, concluſio quoque talis erit.

Coroll. 2. Si in polyſyllogiſmum, quo demonſtratio conficitur, irrepat vel una propoſitio ſolum probabilis, ea vim omnem, ac robur amittit, atque in probationem ſimpliciter probabilem degenerat (§. 197.).

Schol. Eadem rationis concluſione conficitur, gradum probabilitatis in conſequente fore plane eumdem, qui fuit in una antecedentis parte.

CCXVI. *Si in legitimo ratiocinio utraque pars antecedentis ſit probabilis, probabilitas conſequentis erit tanta, quanta eſt probabilitas unius partis diminuta per fallibilitatem alterius partis*; conſequens enim participat de fallibilitate utriuſque partis; nam ſi jam conſequens eſt probabile, etſi una antecedentis pars ſit certa (§. præc.), utique exſiſtente utraque parte antecedentis tantum probabili probabilitas concluſionis minuetur; atqui utriuſque partis fallibilitas obtinetur, cum probabilitas unius per fallibilitatem alterius minuitur: ergo conſequenti convenit

pro-

probabilitas unius partis diminuta per fallibilitatem alterius. *Sit probabilitas unius partis* $= \frac{9}{10}$, erit fallibilitas illius, ſive diſtantia a certitudine $= 1$. *ſit alterius partis probabilitas* $= \frac{8}{10}$, erit fallibilitas illius $= 2$: *& probabilitas unius imminuta per fallibilitatem alterius erit* $= \frac{7}{10}$, cujus fallibilitas eſt $= 3$; eſt vero etiam ſumma fallibilitatum utriuſque partis in antecedente $= 3$. Igitur ſi conſequens participet, ut fieri debet, fallibilitatem utriuſque partis, *ejus probabilitas erit* $= \frac{7}{10}$.

COROLL. 1. Igitur etiam in ſyllogiſmo, concluſio ex duabus præmiſſis probabilibus deducta, habet probabilitatem unius imminutam per fallibilitatem alterius, ſive quod idem eſt, fallibilitas, vel diſtantia a certitudine ejuſmodi concluſionis æquatur ſummæ fallibilitatum, ſive diſtantiarum a certitudine utriuſque præmiſſæ.

COROLL. 2. Quia hæc fallibilitatum ſumma facile major evadit, ut ex inductione caſuum ſingularium patet, talis concluſio frequentius amittit ſuam probabilitatem, atque vel dubia, vel prorſus improbabilis evadit.

Quando probabilitate utendum?

SCHOL. Probabilitas ſupplet defectum veritatis; quam in rebus quamplurimis etiam optimo facultatum naturalium uſu detegere non poſſumus; ubi enim mens noſtra veritatem non aſſequitur, attingit ea nonnumquam magnam veriſimilitudinem, atque ibidem, velut in loco veritati maxime vicino, interea conquieſcit. Ut vero probabilitate utiliter utatur, hæc ſibi tiro ſervanda ſciat.

1.) In rebus pure *theoreticis* fere retinendum

dum eſt judicium, niſi probabilitas quam maxima appareat; cum enim propoſitio quantumquemque probabilis poſſit eſſe falſa (§. 209. cor.), neque ulla nos in his caſibus ad judicandum neceſſitas impellat, ſana ratio, ac prudentia ſuadet abſtinendum eſſe judicio, quo erroris periculum evitetur (conf. §. 93. ſchol.). Si tamen naturali ad judicandum propenſioni ſatisfacere quis velit, circa id, quod evidens, non vero circa id, quod obſcurum eſt, eam exerceat; judicet nimirum ſententiam eſſe probabilem, non autem eamdem eſſe veram.

2.) In rebus vero *practicis*, cum neceſſitas agendi, vel non agendi incumbit, probabilioribus cogimur eſſe contenti, ut veris; nam relate ad praxim neceſſe eſt, ut agamus; qui indeterminatus hæſitaret, numquam ageret, quod pernicioſiſſimum foret. Cum deliberamus, nulla cura nimia eſt; diſcutienda ſunt omnia, ob quæ propoſitio ad veritatem, & ob quæ eadem ad falſitatem accedere videatur; ipſa rationum momenta accurate ponderanda; examini ſubjiciendi omnes caſus poſſibiles, in quibus indicia fallunt, aut non fallunt: at vero, ubi determinatio denique facta eſt, neceſſe eſt, ut relate ad actionem animum obfirmemus, ipſamque propoſitionem, ut veram, intueamur, averſis etiam mentis noſtræ oculis ab iis, quæ pro ejus falſitate pugnare viderentur. Id qui renuit, in vitium inconſtantiæ, & timiditatis incidit: qui genuinus debilis, ignavæque mentis character eſt. Profecto in miſerrimo ſtatu verſaretur ille, qui probabilitate majore haud contentus, ſcientiam in omnibus, ac demonſtrationem quæreret; qui enim manducare nollet, niſi ubi demonſtrative cognovit cibum hunc eſſe ad ſe nutriendum ſine nocumento aptum, qui negotia ſua tamdiu differret, donec de

ſe-

felici eorum ſucceſſu evidenter convincatur, quid haberet reliqui, niſi ut in quiete ſua propemodum computreſcat, ac breviſſimum intra tempus pereat.

3.) Denique cum probabilitas fere omnis pendeat ex inductione caſuum ſimilium, aut ex legibus contingentium; raro autem conſtare poſſit, an ſufficiens ejuſmodi inductio facta ſit, vel utrum omnia adjuncta ad eventum concurrentia ſatis expenderimus, patet, modeſte ſemper & ſentiendum, & loquendum eſſe, ne nobis ipſis plus, quam oporteat, tribuiſſe videamur.

Quid probabilitas interna & externa?

CCXVII. Indicia, quæ propoſitionem probabilem efficiunt, vel ipſi rei, id eſt, ſubjecto, & prædicato inſunt, vel non: illa a *ratione*, hæc ab *auctoritate* petuntur. In caſu priori probabilitas eſt *interna*, in poſteriori *externa*.

Quando alterutra attendenda?

Schol. In diſciplinis, quæ probabilitatis internæ capaces ſunt, probabilitas externa in doctorum auctoritate fundata non attenditur; neque rationi addita auctoritas probabilitatis gradum auget, quamvis ratio addita rationi id præſtet, uti & auctoritas addita auctoritati externam probabilitatem majorem efficit. Ubi ergo negotium agitur probabilitatis internæ, ſollicite circumſpicere, quot auctores pro hac ſententia ſteterint neceſſe non eſt; ingens namque etiam eorum numerus majus non habebit pondus, quam ipſa ſit ratio, qua impulſi in eam convenerunt opinionem: ea proinde magno ſtudio inveſtiganda erit. Id tamen quandoque illis præſertim, qui rationi internæ indagandæ non ſatis idonei ſunt, uſuvenit, ut prudenter præſumere poſſint, auctores, viroſque doctos numquam tanto numero in unam abituros fuiſſe ſententiam, niſi graves pro ea rationes perſpexiſſent, quo caſu eam quoque

am-

amplecti licebit, non tam propter doctorum auctoritatem, quam propter rationem internam, quam ipſos pervidiſſe prudens perſuadet præſumtio. Hæc de probabilitate generatim; qui plura deſiderat, adeat *prin. art. crit.* Euſebii Amort, vel J. s' Graveſande *introd. ad phil. l. 2. p. 1. c. 17.*

CCXVIII. *Opinio* latiſſime ſumta notat quamvis cognitionem incertam, oriundam tamen ex rationibus internis; proprie vero eſt cognitio interne probabilis (§. præc.), judiciumque dependenter ab ea formatum vocatur *opinativum*; is namque *opinari* dicitur, qui propoſitioni interne probabili aſſenſum præſtat, ut ſi quis cum Pythagoræis judicet *lunam inhabitari*. — Quid opinio, & judicium opinativum?

Coroll. 1. Opinio igitur late accepta poteſt eſſe vel probabilis, vel dubia, vel improbabilis. — Quod diſcrimen inter judicium ſcientificum, & opinativum?

Coroll. 2. Cum propoſitio probabilis poſſit eſſe falſa (§. 209. cor. 1.), judicium opinativum numquam ita firmum eſt, ut prudentem de latente falſitate metum excludat, in quo a judicio certo, aut a ſcientifico præter evidentiam (§. 188.) differt.

CAPUT IV.

DE FIDE.

CCXIX. *Fides* eſt cognitio ex loquentis auctoritate obtenta, aſſenſuſque ob hoc motivum propoſitioni cuidam præſtitus, *judicium fidei*; vel etiam frequenter *fides*; ipſe vero, qui ita aſſentitur, *credere* dicitur: ſic cre- — Quid fides, ac judicium fidei?

credimus a *Cæſare Gallos devictos eſſe*; *Ciceronem conſulatum geſſiſſe*.

Quotuplex fides? COROLL. Cum auctoritas Dei ſit, & hominum (§. 179.), patet fidem quoque vel *divinam*, vel *humanam* eſſe.

Quotuplex fides humana? CCXX. Auctoritas humana vel ſufficienter comprobatur, vel non: ſi primum; fides humana eſt *moraliter certa* (§. 183.); ſi alterum: *incerta*, eaque vel *probabilis*, vel *dubia*, vel *improbabilis* (conf. §. 207.)

COROLL. 1. Fides igitur probabilis eſt aſſenſus præſtitus propoſitioni extrinſece probabili (§. 217.).

COROLL. 2. Hinc, quæ ſupra de probabilitate in genere dicta ſunt, huc quoque applicari debent.

SCHOL. De fide probabili hic ſolum agam; eam enim, quæ certitudine morali pollet, fuſius ſupra expoſui (§. 183. &c.). De fide quoque divina, quantum ad logicam pertinet, actum eſt (§. 181.): reliqua ad theologiam naturalem referri debent.

Quod ejus objectum? CCXXI. Referri poſſunt vel ea, quæ ad ſcientias pertinent, vel quæ fiunt, aut facta ſunt; in iis auctoritatem non attendimus (§. 217. ſchol.): igitur fides locum duntaxat habet in rebus *facti*, ſive *hiſtoricis*; vel, ut ajunt, in *credibilibus*.

COROLL. Facta, quæ eveniunt, ſingularia ſunt (§. 59. ſchol.): ergo fides eſt de rebus ſingularibus, ac proinde univerſalia non *credimus*; ſed vel *ſcimus*, vel *opinamur*.

Quid teſti idoneus? CCXXII. *Teſtis* hoc loco eſt omnis ille; qui nobis aliquod factum ſeu ore, ſeu ſcripto re-

refert, eſtque *idoneus*, cum habet auctoritatem, cui fides merito adhiberi poſſit.

Coroll. 1. Quilibet hiſtoriæ ſcriptor teſtis nomine venit.

Coroll. 2. Cum auctoritas teſtantis per ſcientiam, & veriloquium conſtituatur (§. 180.), teſtis idoneus eſt, qui, quod narrat, ſcit, & ut ſcit, narrat, id eſt, qui rei notitia, & veri dicendi voluntate prædirus eſt.

Coroll. 3. Antequam narrationi fidem habeamus, ſollicite indagandum eſt, num ea a teſte idoneo proficiſcatur.

Schol. Per ſe vero patet, requiri præterea, ut teſtimonium ſit clarum, ſive ut teſtis clare, & intelligenter loquatur; qui enim vel probabiliter mihi quidpiam perſuadeat auctoritas, ſi loquentis ſenſa non aſſequar? Quare magnopere neceſſe eſt, ut tam teſtis ipſe, quam qui ejus relationem excipit, vocabulorum abuſus (§§. 82. & ſeqq.) relatos omni cura evitare ſtudeat.

CCXXIII. *Quivis teſtis habendus eſt verax, dum contrarium probetur*; ex lege enim quadam in ipſo naturæ ſenſu fundata nemo præſumendus eſt malus eſſe, niſi id ſatis commonſtrari poſſit; jam vero, qui verax non eſt, ſive, qui deliberato conſilio contra mentem, ac propria ſenſa loquitur, cum id ſine animo alios fallendi numquam fieri queat, profecto ab omni malitia immunis eſſe non poteſt: igitur tamdiu quivis putandus eſt verum loqui, quamdiu graves rationes contrarium non evincunt. Et ſane licet homines mentiri poſſint, & perfrequenter etiam mentiantur, nihilo minus vel ex eo, quod natura quemdam veritatis amorem omnibus indiderit, merito præſumimus, quemlibet in loquendo naturalem hanc propenſionem ſequi, Quando teſtis verax?

 niſi

niſi oppoſitum ſuſpicandi gravis adſit ratio; Sunt autem hæ fere.

Rationes dubitandi de veracitate Teſtis.

1.) Qui ſæpius etiam ex imprudentia duntaxat falſum dixiſſe deprehenſus eſt, aut, quod deterius foret, deliberata mente mentiri conſuevit, nullam meretur fidem; mendacium enim vel unicum eſt ſignum malitiæ in animo latentis, ex qua plura ſubinde proficiſcuntur, fundatque proinde gravem ſuſpicionem contra veritatem cujuſcumque teſtimonii. Atque hoc adeo verum eſt, ut id genus homini etiam credi non debeat, cum juramento rem confirmat; etſi enim ceteroquin teſtibus juratis propter jurisjurandi religionem apud omnes gentes maximam, ſine hæſitatione fides adhiberi ſoleat, ſi quis tamen eo jam audaciæ devenit, ut ipſo jurejurando abuſus fuerit, graviſſima contra illum præſumtio firmatur, ne hac quoque in re, aut hoc tempore id ſacrilegii genus admittat: quare Tullius: „ Si quis ſemel pejeraverit, ei credi poſtea, etiamſi per plures „ Deos juret, non oportet. „ Ab hac accuſatione cumprimis immunes ſunt viri illuſtres, in dignitate conſtituti, atque publica fama celebres; experientia enim teſte in ejuſmodi viros longe rarius, quam in rudes, ac de plebe homines mendacium cadit, cum illi præ his conſervandæ nominis ſui gloriæ ſtudioſiores eſſe ſoleant: amplitudo igitur nominis, ac viri dignitas non exiguum teſtimonio robur addit.

Orat pro Rabir.

2.) Cum res, quæ narrantur, non apte ſatis inter ſe cohærent, prudens de occulta quadam repugnantia ſuſpicio exoritur; cum vero res ſunt admodum inſolitæ, vel propterea, quod rariſſime accidunt, creditu difficiles,

ciles, aut ejus naturæ, ut incautus quiſque facile circa eas decipi poſſit, novo examini ſubjiciendæ erunt, quin quidpiam interea affirmate decidatur. At ubi relata clare perſpiciuntur impoſſibilia, ſine mora inter fabulas releganda ſunt.

3.) Proclives ſunt maxime homines ad alios decipiendos, quando ſua ipſorum res agitur, atque ex veritatis occultatione commodi quidpiam in ipſos redundat, vel quando teſtimonium dicunt in eorum, a quibus teſtes eſſe jubentur, utilitatem; quare in ejuſmodi caſu fides deneganda eſt, quam ab oppoſito vel maxime merentur ii, qui contemto proprio commodo, ac utilitate etiam in ſuum nocumentum aliquid teſtantur. Exemplo ſunt Apoſtoli, qui de Servatore reſurgente etiam cum periculo vitæ teſtimonium liberrime tulerunt. Univerſim partium ſtudia, adulatio erga principes, immoderatus patriæ, gentiſque ſuæ amor, ac importuna reliquarum affectionum turma frequentiſſime in cauſſa ſunt, ut ne hiſtorici veritatem ſincere pandant, efficiuntque, ut vel ſuorum vitia occultent, vel præclare geſta ultra modum extollant, atque alias gentes præ ſua ſuperbe deprimant. Quare diſpiciendum ſollicite, utrum in teſte harum affectionum una aliqua, & quænam vehementius dominetur, id quod ex ejus moribus, inſtitutione vitæ, ſcribendi ſine, ceteriſque ſimilibus adjunctis facile cognoſcitur. Sic Cæſar, ac Livius res romanas plus æquo extollunt; quin & Gallorum, Germanorum, & Charthaginenſium facta ultra juſtos limites evehunt, ut ex relatis de iis victoriis major romano nomini gloria accreſceret; veteribus quoque Græcis nullo non tempore id vitio datum eſt, quod alias præ ſe nationes ſuperbe deſpiciant, gloriamque gentis ſuæ per fas, ne-

ſaſque amplificare ſtudeant, unde a Latinis Græcia *mendax*, *garrula*, *levis* jure dicebatur.

4.) Cum datur teſtimoniorum conflictus, ac relatio, cum iis non conſentit, quæ alias percepimus. Acumine intellectus hoc in caſu opus eſt: atque imprimis res ipſa ſpectanda, quæ ſi inter eventa locum habeat, præferimus eos, qui tempori illi, quo ea contigiſſe fertur, propiores ſunt; ſi vero res ad naturæ obſervationes pertineat, recentioribus plus tribuimus fidei; extra controverſiam enim poſitum eſt, noſtri temporis phyſicos majoribus adjumentis ad naturæ phænomena & obſervanda, & perſcrutanda inſtructos eſſe: pervidendæ deinde quoque aliæ teſtium, conditiones ſecundum ea, quæ jam dicta ſunt, & porro dicentur. Denique ceteris paribus plurium teſtium major eſt auctoritas, numeruſque ipſe, ubi conſpiratio nulla prudenter timeri poteſt, pondus, ac robur addit: quare in eo caſu diſpiciendum, utrum res ejus ſit naturæ, ut plures in eam conſentire per ſe ceteroquin arduum foret? utrum nec educatio, nec præjudicata quædam opinio, nec commune affectionum vinculum teſtes ipſos colligaſſe videatur; quod ſi nullum horum veſtigium appareat, maximum utique veritati pondus accedet. At vero ubi colluſionis prudens eſt ſuſpicio, vel cum conſtat, omnes eos unius ſolum ea in re auctoritatem ſecutos fuiſſe, etiam centum hiſtorici non majorem merentur fidem, quam unicus ille, ex quo reliqui id deſumſerunt. Hac impulſi ratione nonnulli belli Trojani veritatem in dubium vocant, quod omnes hiſtorici id uno ex Homero, vel veteri quodam Syargo, qui, ut Ælianus refert, primus illud bellum ceciniſſe putatur, accepiſſe videntur. Dixi autem ceteris paribus nume-

Hiſtor. var. l. 14. c. 21.

me-

merum eſſe attendendum, nam fieri utique poteſt, ut unus aliquis, licet reliquis contraria teſtetur, iis dotibus polleat, ut compluribus præferri mereatur.

5.) Si nimia appareat cura ſtili, qui enim ſtilum in ſcribendo affectant, ſæpe non tam de veritate, quam de vocabulorum elegantia ſolliciti ſunt, ſatiſque ſibi faciunt, modo res veriſimiles conſcribant: horum in numero ipſe Tullius Xenophontis Cyropædiam reponit. Quare non abs re in hiſtoria ſtilum planum & nitidum requirimus; figuræ enim, tropi, ceteraque oratorum ornamenta veritatem occultant, poetarum vero ſchemata, fictionesque eamdem involvunt. Ex hoc rurſum capite maximam merentur libri Evangelici fidem, cum in illis res maxime inſolitæ, prodigia prorſus ſtupenda ſine inutili elegantiarum comitatu, ſtilo prorſus ſimplici enarrentur; unde omnis exaggerationis cujuſdam, aut allegoriæ ſuſpicio excluditur. Ut igitur teſtimonio fides haberi poſſit, illud ſit claris, planiſque verbis conceptum (conf. §.222. ſchol.). Sed & aliud quoque eſt vitium, quo teſtimonii veritas frequentius labefactatur, quodque præterire hic non oportet. Sic fere ſunt homines comparati, ut, quæ ſibi ipſis admodum nota, & familiaria ſunt, aliis perinde cognita eſſe exiſtiment; itaque cum factum quodpiam referunt, neceſſaria quandoque rei adjuncta, locique, ac temporis rationes reticent, non dubitantes, quin ea ab audientibus alioquin intelligantur, ex quo fit, ut quæ eloquuntur, non perfecte congruant cum iis, quæ mente gerunt; cui & iſtud nonnumquam accedit incommodi, ut de certis quibuſdam facti adjunctis rogati, dum, quid quæratur, non ſatis aſſequuntur, illico in animum inducant de iis quæri, quæ tum ipſi mente volvunt, præcipue ſi eorum quæ-

dam connexio, aut ſimilitudo, licet exigua, detur: unde conſequens eſt, ut ſepius reſpondendo affirment, quod negare oportuiſſet, quodque etiam negaſſent, ſi quæſtionem rite intellexiſſent.

Quando teſtis habet notitiam?

CCXXIV. *Notitia rei in teſte non præſumitur, ſed poſitive comprobari debet:* quod enim frequenter non fit, illud nequit in caſu quovis particulari prudenter ſupponi factum fuiſſe, ſed omnino neceſſe eſt, ut ſolidis evincatur rationibus; jam vero requiſita induſtria, ac labor, ceteraque, quibus rerum notitia, quæ nemini a natura ingenita eſt, comparari debet, perſæpe non adhibentur: igitur ea fuiſſe reapſe adhibita, ac proinde etiam, rei notitiam in teſte adeſſe non præſumi, verum probari debet. Sunt autem hæ fere.

Rationes, quæ oſtendunt teſti non defuiſſe notitiam.

1.) Si conſtet teſtem magna ingenii vi, ac judicii ſagacitate pollere; qui enim ejuſmodi ſunt animum ad omnia adjuncta examinanda ſerio applicant; cuncta rimantur; omnia acri judicio expendunt; fabellas, ac vulgi rumores acute diſcernunt; eaque ſolum, quæ maxime ad veritatem accedere perſpexerint, ſeligunt, neque adeo tam facile ſibi imponi permittunt: ubi contra rudiores, rerumque imperiti nimia fere ſemper credulitate laborant, ac fraudibus detegendis impares, omnia promiſcue amplectuntur; cuivis relationi acquieſcunt; inanes vulgi rumores, ut ipſi in veris habent, ita aliis quoque pro liquidiſſima veritate obtrudunt. Hoc ex fonte inter fabulas referimus pleraque, quæ in viatorum, ac mercatorum diariis de atheiſmo, vel religione populorum in America, & A-

frica

ſrica degentium relata legimus; homines e-nim ii nullo prorſus pacto idonei erant ea-rum gentium moribus, & religionis dogmatibus explorandis; quippe cum & neceſſaria linguæ notitia deſtituti eſſent, & uni quæſtui intenti; nec umquam interiora illarum regionum penetraverint. Quando tamen agitur de re obvia, quæ a quovis, ſi modo ſenſibus integris utatur, cognoſci poteſt, majus ingenii acumen non attendimus; parem enim cum quovis erudito auctoritatem obtinet primus quiſque de plebe, cum narrat pluviam, aut grandinem alicubi cecidiſſe, vel incendium hoc, illove loco exortum fuiſſe.

2.) Si conſtet teſtem ſemper plus intellectui, ac rationi, quam imaginationi tribuere; illius enim, non hujus munus eſt, eventa, factorumque adjuncta explorare. Qui vivaci nimirum phantaſia laborant, facile ſe ea abripi ſinunt, umbras, falſoſque rerum ſplendores pro rebus ipſis habent, atque excocta ſuo in cerebro phantaſmata pro genuinis veritatibus venditant; vident illi ea, quæ nuſquam ſunt, audiunt, tangunt, ac ægerrime ferunt, ſi quis contradicere audeant. *Enthuſiaſtas* hoc genus hominum compellamus, eorumque conſortio magnopere cavendum eſt.

3.) Si teſtis narrationis ſuæ fontes habeat legitimos; nullam enim meretur fidem, cum documentis dubiis nititur; hoc ex capite Herodotus apud eruditos vapulat, qui non niſi populares rumores ſectatus eſt, iique omnes, qui ex fabuloſis Ægyptiorum, Phœnicum, & Rabinorum traditionibus congeſtos de rebus antediluvianis libros nobis reliquerunt, vel qui noſtro hoc tempore ex novellis publicis opus quoddam hiſtoricum conſarcinant. Diſpiciendum igitur diligenter tum, quæ documenta, inſtrumenta, aut monumenta publica, quæ potiſſimum in inſcriptionibus ſe-

pulchrorum, columnarum, & nummorum, & in antiquis ſcripturis, ac picturis conſiſtunt, teſtis habuerit, & inſpexerit; tum etiam, quantam & ipſa fidem mereantur: eſtque hoc præcipuum ipſius teſtis munus, ut citando fontes ſcientiæ ſuæ rationem reddat; id ni faciat exiſtimandus eſt vulgi rumores, privata nonnullorum adverſaria, & quæ ejuſmodi ſunt, nullius auctoritatis monumenta ſecutus fuiſſe; illud enim præſumitur, quod frequentius fit, quodque adeo factu eſt proniſſimum.

4.) Si teſtis ſit oculatus, coævus, domeſticus; oculatus enim aurito, coævus recentiori, domeſticus, ſi modo ab omni partium ſtudio remotus ſit, externo omni jure præfertur; fama ſiquidem eundo creſcit, aliud ſupprimit, aliud addit; unde veritas tandem omnis corrumpitur. Longe igitur majorem ii merentur fidem, qui facto præſentes adfuerunt, remque ſuis ipſi uſurparunt oculis, ac illi, ad quos de ea rumor ſolum pervenit. Hoc porro indicium tanti eſt roboris, ut ſæpius unius coævi narratione, rejectis plurimorum recentiorum teſtimoniis; ſtandum ſit: neque alia eſt Tullii mens de animæ immortalitate diſſerentis „ auctoribus uti optimis „ poſſumus; quod in omnibus cauſſis, & de„ bet; & ſolet valere plurimum, & pri„ mum quidem omni antiquitate, quæ quo „ propius aberat ab ortu, & divina proge„ nie, hoc melius ea fortaſſe, quæ erant, „ vera cernebat. „ Multo vero utique magis id valebit in iis, quæ antiquis temporibus contigerunt; quare ſi æquales præſertim plures, ceteroquin vitæ conditione, ſtudiorum ratione, religionis inſtituto diſcrepantes, idem teſtentur, auctoritatem habent maximam, cum omnino incredibile ſit, ut complures diverſis acti affectionibus in idem menda-

Qq. tu. ſc. l. 1. c. 12.

dacium conſpirent. Prærogativa hæc rurſum præcipuo quodam modo pro ſcriptoribus Evangelicis pugnat; quæ enim mirabilia de Chriſto narrant, ea ſuis fere inſpexerunt oculis, aut ab iis, qui præſentes adfuerunt, proxime acceperunt, neque ullum in iis partium ſtudium ſuſpicari licet, cum ea, quæ retulerunt, in offenſionem Principum, totiusque gentis opprobrium ceſſerint.

At vero, quid de factis antiquis dicemus, quæ, cum nulla jam exſtent documenta coæva, ſola nunc traditione probari poſſunt? An ea univerſim rejiciemus? Nequaquam; ſed indagandum ſollicite, utrum ea traditio a teſtibus coævis, fideque dignis, an vero aliunde ex quodam fonte ſuſpecto ortum ducat? Illud jure arguitur, cum factum adjuncta habet admodum ſplendida, ac illuſtria, ſolemnitates publicas, cærimonias, ac conſuetudines ea occaſione introductas; nequit enim profecto eventus ad magnam in vulgo motionem excitandam aptiſſimus a fraudulento quodam homine promulgari, quin ſapientiores contradicant; neque fieri omnino poteſt, ut tota quæpiam communitas ad tam ſolemne commentum poſteris tranſmittendum cum circumſcriptore conſpiret. Dubitare igitur non licet de veritate facti hiſtorici, quod quidem ex ſola traditione proficiſcitur, adeo tamen illuſtre, publicum, aut ejuſmodi eſt, ut ſine ingenti ſtrepitu nec contingere, nec promulgari potuiſſe videatur; agitur exempli cauſſa de ſerie ſummorum Pontificum, Epiſcoporum, aut Principum aliorum, non poſſunt proferri documenta coæva, ſed catalogi ante tempus memoria antiquius conflati: poteſt tuto teneri talis traditio, cum nullo modo credibile ſit rem adeo publicam, ac in vulgus notam vel prorſus oblivioni datam, vel aliqui decipientium fraude adulte-

ratam fuiſſe. Contra vero ob ſolam traditionem credi ſine hæſitantia nequit factum, quod in ſe, vel in ſuis adjunctis ejuſmodi eſt, duntaxat, ut ſub initium a paucis duntaxat cognoſci potuerit, qualia ſunt privata quandoque prodigia, quæ a muliercula nimis credula, vel ab enthuſiaſta primum conficta, ſenſim denique in vulgus dimanant.

5.) Si factum quoddam memorabilius teſtes recentiores enarrent, cujus nullus æqualium meminit, jure in dubium vocari poteſt, ac vero etiam debet, niſi ſilentii hujus gravis ratio adferri queat. Argumentum hoc a criticis *negativum* compellari ſolet, utque eo rite utamur, ſequentia notanda veniunt. Primum conſtare debet auctorem certam habuiſſe facti illius notitiam, pronamque ejus referendi occaſionem; dubia enim poſteris tranſmitti non debent, neque ea, quorum commentarios ſcribendi non eſt occaſio: multa ab eruditis noſtri temporis, & quidem digniora ſciuntur, nec tamen ſcribuntur, quod videlicet vel occupationes, vel vitæ rationes, vel ipſe etiam ſcopus, quem in elucubrationibus ſuis viri docti ſibi præfigunt, id non admittunt. Porro occaſione non caruiſſe auctorem ex his fere arguimus: ſi ſit factum valde memorabile, & notatu dignum, ad filum hiſtoriæ pertinens, multumque fortaſſe ad aliorum, quæ in ea pertractantur confirmationem faciens; ſi auctor habuiſſet ſingularia motiva illud adducendi; ſi ex ejus relatione nullum incommodum in ſe redundaturum prudenter timere potuiſſet; pronum ſiquidem eſt, ut quis veritatem reticeat, cum ex ea offenſionem populi, Principis, aut alterius cujuſdam, apud quem gratia valere quam maxime ipſius intereſt, vel aliud quodcumque incommodum prævideat oriturum. His ducti rationibus fidem non habemus Phi-

le-

loſtrato, qui centum poſt annis prodigia maxime ſtupenda ab Apollonio Thyanæo patrata fuiſſe enarrat, quorum nullus coævorum meminit, etſi id ad idololatriæ ſuperſtitionem, quam promovere conabantur, confirmandam quam plurimum contuliſſet. Si jam vero ſupra dictis oppoſita obtineant, ſilentiique coævorum ratio efficax reddi poſſit, nullum inde argumentum pro rei a recentioribus relatæ falſitate peti poteſt; ſic hæreticis rationem damus efficaciſſimam, cur de ſanctiſſimis religionis noſtræ ſacramentis, eorumque uſu non tam multa ac minuta in antiquis primorum Chriſtianorum libris conſignata deprehendantur, diſciplinam nimirum arcani, quam inter primos Chriſtianos viguiſſe ex Origene, Tertulliano, aliiſque diſcimus. Atque id multo magis tum obſervandum eſt, cum aliis coævis tacentibus alii rem enarrant; tum enim locum habet recepta apud criticos regula: *qui aliquid tacet, id propterea non negat*, eſto etiam, quod id hiſtoriæ leges exegiſſent; nam convenientius eſt judicare, unum illum fortaſſis in hiſtoriæ leges peccaſſe, quam reliquos omnes in fraudis, aut ignorantiæ ſuſpicionem vocare. Sic veritas librorum evangelicorum non infringitur ex eo, quod non omnia a quovis Evangeliſtarum referantur, ſed in uno exſtent, quæ ab alio prætereuntur. Inde vero ſequitur, univerſim argumento hoc *negativo* admodum caute utendum eſſe, cum rariſſime certo conſtare poſſit, an nullus omnino æqualium ejus, de quo quæritur, facti mentionem fecerit, cujus rei ratio eſt: quod multa veterum monumenta tam hominum incuria, quam temporum iniquitate interierunt.

Schol. Indicia duobus his §§. allata tanti ſunt roboris, ut ſi ea omnia ſimul in tota ſua lati-

tudine pugnent pro veritate cujuſdam teſtimonii, eam jam non probabilem, ſed omnino moraliter certam efficiant; inde enim conflantur characteres (in ſchol. §. 183.) memorati, qui humanæ auctoritatis infallibilitatem commoſtrant. Id cum primis obtinet in libris evangelicis; nihil enim omnino eſt, quod eorum auctoribus, aut veri dicendi voluntatem, aut factorum, quæ narrant, notitiam defuiſſe, vel minimam prudentis ſuſpicionis umbram movere poſſet. Quare libri hi, etſi a revelatione abſtrahamus, ſpectata ſolum ratione naturali fidem, quæ in rebus humanis dari poteſt, maximam merentur, atque rationem ipſam exuiſſe cenſendi ſunt, qui, neſcio quo malo genio, aut imprudenti ſcepticiſmo acti fidem, quam tamen Livio, Curtio, aliiſque longe inferioris notæ ſcriptoribus liberaliſſime tribuunt, iiſdem pertinaciter denegant.

Ad extremum nequeo graviſſimum hoc in argumento errorem Lockii, viri ceteroquin acutiſſimi ſilentio præterire; maximi enim is eſt momenti, videturque eo quam proxime tendere, ut traditiones Apoſtolicas Romanæ Eccleſiæ convellat. Docet Lockius univerſim cujuſvis teſtimonii probabilitatem ea proportione imminui, qua a primo fonte recedit: „ vir „ fide dignus, inquit, cum teſtatur rem quam„ piam ſibi eſſe notam, firmum adfert argu„ mentum; verum cum ſecundus æque fide „ dignus idem teſtatur nixus teſtimonio prio„ ris, teſtimonium hoc jam evadit debilius, & „ teſtimonium tertii, qui ex ore præceden„ tium loquitur, eſt rurſum minus attentione „ dignum; ita ut in veritatibus, quæ nobis „ via ſolius traditionis pateſiunt, quivis gra„ dus remotionis a fonte vires argumenti in„ fringat &c. &c. „ Hujus porro novæ atque abſurdæ doctrinæ rationem ſibi videtur inveniſſe in lege per Angliam recepta, vi cujus,

Eſſai phil. conc. l'entend. hum. l. 4. ch. 16. §. 10.

etſi

etſi exemplum ex inſtrumento authentico deſcriptum, ac per legitimos teſtes comprobatum æqualem adhuc fidem faciat, hujus tamen exempli exemplum, quamtumvis ſummæ auctoritatis teſtibus confirmaretur, in nullo amplius tribunali legitimæ probationis vim obtinet. Tum conqueritur apud plurimos morem e diametro oppoſitum invaluiſſe, atque inde evenire ait, ut opiniones nonnullæ ſæpe ſolum ſeneſcendo novas vires acquirant, ac ea nunc in certiſſimis, ac indubitatis ob ſuccedentium teſtium, ex primi tamen ore loquentium, auctoritatem habeantur, quæ ante mille annos, & ob teſtimonium primi ne probabilia quidem videbantur. Miror vehementer virum qui eodem in opere tam elegantia ratiocinandi præcepta ſuppeditat, in patentem adeo paralogiſmum prolabi potuiſſe; ſed nempe & doctiſſimus quiſque ſuos patitur manes. Ut a poſtremo ordiar; manifeſte deſeritur hypotheſis aſſumta, atque ad aliud, quod in quæſtione prorſus non verſatur, excurrit oratio: utrum teſtimonium mendax, aut opinio falſa ſola annorum diuturnitate, & ſuo quaſi ſenio robur obtineat, hic non quæritur; id enim fieri haud quaquam poſſe luce meridiana clarius eſt, nec quemquam eſſe mihi perſuaſero, qui ignoret, commenta procedente tempore adeo non firmari, ut ea contra deleat dies, aut ſi neque hoc eveniat, contra veritatem tamen nulla temporum diuturnitate præſcribi poſſe; addo etiam conſuetudinem, ſi qua vigeat, opinionem quampiam eo ſolum ex capite, quod longo annorum intervallo obtinuerit, inter veras reponendi magnopere improbandam eſſe. At hæc omnia Lockio parum proderunt; in hypotheſi enim ab ipſo ſtatuta quæritur de teſtimonio *vero* a teſte primo *fide digno* per quamplurimos alios ſibi ordine ſuccedentes *æqualiter fide dignos* tranſmiſſo; hu-

jus.

jus vero auctoritatem longa annorum ſerie non minui, vel ex eo patet, quod eadem omnia, quæ ad fidem primo teſtimonio habendam movere poterant, etiam pugnent pro centeſimo, vel milleſimo, vel pro quocumque alio, cum hypotheſis ponat teſtes omnes ſubſequentes eſſe *æqualiter fide dignos*, adeoque tales, qui id, quod acceperunt, fideliter ſine omni mutatione, additione, aut ſubtractione adjunctorum renuncient, quamvis id fatendum ſit hypotheſin rei veritati ſæpe non reſpondere, cum talium teſtium rarus admodum ſit numerus, niſi facta ſint publica, & ſolemnia, taliaque, quorum accuratam memoriam conſervare multorum plurimum intereſt. Quod vero ad legem illam jure Anglicano introductam attinet, quis ignorat præſumtiones juris rerum veritati non obeſſe, multaque univerſim a legislatoribus ſapientiſſime conſtitui non alio ex capite, quam ut hominibus malevolis remotiores quoque alios fraudibus circumveniendi occaſiones extorqueantur? Atque unicus etiam hic finis videtur legi huic propoſitus: exemplum exempli, etſi teſtibus idoneis confirmatum, non amplius in locum legitimæ probationis admittitur, non quod in caſu quodam in ſingulari non poſſit in ſe mereri fidem; id enim neque lex exprimit, ſed ut univerſim omnes fraudibus quæ in ejuſmodi deſcriptionibus frequentiſſimæ ſunt, occaſiones eripiantur; fere uti certæ perſonæ, quæ in quibuſdam cauſſarum generibus a jure inter teſtes non recipiuntur, non tamen propterea mendaces eſſe declarantur. Patet igitur teſtimonium etiam longiſſima annorum ſerie per teſtes æque idoneos tranſmiſſum nihil de ſua firmitate deperdere: immo audeo aſſerere, ſæpe traditionem eo magis eſſe fide dignam, quo eſt antiquior, non quidem ſolius antiquitatis ratione habita; ſed quod eo annorum decurſu

viri

viri inſigni & ingenii perſpicacia, & intellectus acumine pollentes, quorumque imprimis interfuit primi teſtimonii, unde omnis ea traditio ortum ducit, pondus ſumma cum ratione inveſtigare, ſua eam auctoritate confirmarint. Quodſi a temporis diuturnitate abſtrahamus, facile ſuſpicio locum inveniet, an non primo teſtimonio ex præjudiciis quibuſdam, aliiſque ſiniſtris motivis fides fuerit adhibita; at cum longam annorum ſeriem, quam præjudicatæ, falſæque opiniones non ſuſtinent; cum acutiſſime videntium judicia toties repetita expendimus, novum quoddam primo teſtimonio robur accedere videtur, omniſque ille metus evaneſcit. Nolim tamen id ad ea quoque facta extendi, quæ, cum vel privata, pauciſque nota ſint, vel quam plurimis, diverſiſque veſtiantur adjunctis, facillime tum ob infidelem hominum memoriam, tum ob naturalem linguarum imperfectionem, tum denique etiam ob imperitiam, aut nonnullorum malitiam corrumpuntur; quare in ſimilibus ſola traditio vix ullam auctoritatem habehere poteſt.

CAPUT V.

DE
INTERPRETATIONE, ET LECTIONE LIBRORUM.

CCXXV. *Ars Hermeneutica*, ſive *Interpretandi* eſt ars determinandi ſenſum, quem auctoris verba, ſeu ſcripta, ſeu ore prolata continent. Quid ars hermeneutica.

Co-

COROLL. Qui igitur alterius verba interpretari aggreditur, is mentem auctoris perfectiſſime aſſequi debet, ac proinde eaſdem, quas auctor, cum vocabulis ideas conjungere (§. 81. cor. 2.).

Quid ejus principium? CCXXVI. *Nullus umquam ſenſus verbis tribuendus eſt, niſi qui clare probari poteſt*: cum enim a poſſe ad eſſe non valeat illatio, ut loquuntur philoſophi, ex eo, quod verba poſſint determinatum aliquem ſenſum facere, inferri nequit eum reipſa eſſe in caſu propoſito: igitur quis ex omnibus poſſibilibus nunc ſit determinate vocabulorum ſenſus, poſitiva ratione conſtabiliri debet: Indicia, ex quibus id efficitur, *principia interpretandi* compellantur.

Et quotuplex? SCHOL. Indicia hæc ex triplici potiſſimum fonte petuntur, videlicet vel *uſu loquendi recepto*, vel *ex intentione loquentis*, vel denique *ex ſubjecta materia*. Et profecto nihil magis rationi conſentaneum eſt: primum ſiquidem prudenter præſumere poſſumus, verba auctoris eumdem ſenſum continere, quem in uſu communi, & vulgari habent; cum nemo, qui quidem ideo loquitur, ut intelligatur, ab eo ſine ratione gravi recedere poſſit (§. 83. ſchol. nu. 4.). Deinde vero, cum, ut frequenter evenit, vocabula etiam ex recepto loquendi uſu ad plures ſenſus ſint indifferentia, quomodo citius, faciliuſque nodum ſolvemus, atque reſpiciendo, & indagando loquentis intentionem, cum a cujuſvis arbitrio pendeat voces ad ſignificationem unam aliquam ex pluribus uſitatis determinare? Denique ſi hiſce omnibus nihil proficiamus, quo tandem recurrendum erit? nonne ad ſubjectam materiam? niſi enim auctor vel ob imperitiam; vel ob malitiam, quorum neutrum ſuſpicandum

dum eſt, aliud poſitive intenderit, neceſſe eſt, ut is ſit verborum ſenſus, qui argumento, quod tractatur, quam maxime congruit. Qua porro ratione triplici hoc fonte utendum ſit, ſequentes te canones docebunt.

Leges Interpretandi.

1.) *Uſus loquendi* exigendus eſt ad eam ætatem, eamque regionem, in qua auctor librum exaravit, ſiquidem in aperto eſt complura vocabula decurſu temporis vim, ac poteſtatem ſuam permutaſſe: ineptus ſit, oportet, qui, dum in veterum aliquo deprehendit Ægyptios geometriæ admodum peritos fuiſſe, putet, ea voce ſcientiam adeo completam, qualis nunc exſtat, denotari. Ad hoc plurimum conducit diligens morum, gentium, & antiquitatum ſtudium. Eligendus porro tum eſt ſenſus maxime naturalis, is ſcilicet, quem primum verba nacta ſunt, cuique translatus opponitur, nec ab eo, niſi gravi de cauſa recedendum; qualis foret, ſi ſecus ſignificatio aut nulla, aut abſurda, aut inſtituto auctoris parum congrua oriretur. Quod ſi nonnumquam neceſſitas cogat, ut ad ſenſum allegoricum recurratur, id ita fiat, ut una potius enunciatio, quam plures, metaphorice exponatur. Nemo autem eſt, qui non videat ad hæc ex æquo præſtanda requiri præterea perfectam linguæ, qua liber exaratus eſt, notitiam, atque hac quoque de cauſſa libros *originales* verſionibus præferimus, cum experientia teſte frequentiſſime contingat, ut, qui translationis laborem in ſe ſuſcipit, exquiſita utriuſque linguæ cognitione non polleat; quamquam etiam hac non deficiente ob idiotiſmos cuivis linguæ proprios omnino arduum ſit, quam accuratiſſi-

me,

me, ut neceſſe foret, auctoris ideas alieno idiomate exprimere.

2.) *Intentio loquentis* ex definitionibus ab ipſo auctore ſtatutis clariſſime elucet: hæ igitur primo omnium loco exquirendæ ſunt. Quod ſi eæ deſint, exempla ſingularia, quæ nonnumquam adjunguntur, præſertim ſi abſtractionis ope in univerſalia transmutentur, planam ad auctoris intentionem detegendam viam ſternunt. Deinde, cum diverſæ ſeu in philoſophia, ſeu in religione ſectæ, uti & artes fere omnes, etiam non liberales, propria ſibi frequenter vocabula habeant; quin vocibus quoque alias receptis in alieno tamen ſignificatu ſæpius utantur, attendendum magnopere, quam ſectam auctor ſeu in religione, ſeu in philoſophia profiteatur; ſic aliud ſonat vocabulum *calor* in ore Carteſiani, aliud in ore Peripatetici: & Theologi norunt, quanti ad verum ſenſum in antiquis SS. PP. monumentis determinandum interſit advertere, eos pleroſque omnes philoſophia eclectica, in qua tamen Platonis placita dominatum tenuerunt, imbutos fuiſſe; nec minus hæreticis tam veteribus, quam recentioribus perfamiliare eſt, ut certis quibuſdam vocabulis alienam prorſus ſignificationem ſubſtituant, num id ad tegendos paulliſper ſuos errores quandoque faciant, decidere non eſt hujus loci. Quanti porro hæc animadverſio ſit momenti vel ex eo patet, quod proniſſimum ſit, ut quis principia, quibus jam imbutus eſt, etiam in diverſis rebus ſequatur, ex iiſque nonnulla ubicumque pro data occaſione inſpergat; regulariter autem illud factum fuiſſe cenſeri debet, quod factu proniſſimum eſt, ac prudens ſemper pro illo ſenſu ſtat præſumtio, qui facilius auctori occurit, quique arctius cum principiis, ideis, & objectis ipſi familiaribus, addamus etiam, educa-

tio,

tione, conſuetudine, præjudiciis, & affectionibus, quibus agitur, ſive bonis, ſive malis connectitur. Denique intentio loquentis cenſetur reſpicere ea, quæ ipſi magis obvia ſunt, ac nota, id quod cumprimis uſuvenit, cum de ſignificatione terminorum relativorum determinanda agitur; ſic *magnus* olim in Græcia exercitus nunc omnino parvus foret; audis virum eſſe *magnæ* doctrinæ, vide, num qui id aſſerit, ſit ex natione culta, an barbara? Utrum eruditorum ex numero, an de ignorantium grege? &c. &c.

3.) *Subjecta materia* ſubſidium verum vocabulorum ſenſum detegendi ſuppeditat, cum textus ſermonis integer, totaque doctrinæ cohæſio rite expenditur; is enim propoſitionis, aut termini ſignificatus eſſe præſumitur, qui reliquæ doctrinæ, integræque rerum connexioni aptius reſpondet. Neceſſe igitur cumprimis eſt, ut antecedentia cum conſequentibus conferantur, exquiranturque loca *parallela*, quæ inter ſe comparata id, quod obſcurum eſt, non parum illuſtrabunt; verum ea, ubi obiter duntaxat, & per occaſionem rei mentio fit, ſollicite diſcernantur ab iis, in quibus auctor copioſe, ac dilucide id ipſum vel probandum, vel declarandum, vel etiam refutandum ſibi ſumſit, ſeu in quibus, ut ajunt, *ſedes eſt argumenti*, atque ex his, non vero ex illis ſenſus verborum definiatur. Hac in re præcipue peccant ii, qui propoſitionibus ex toto orationis nexu avulſis eum ſenſum affingunt, quem fortaſſis ſeorſum ſpectatæ continere poſſent, ut nullo tamen modo reapſe continent; cum certum ſit auctorem eam, quam tota connexio exigit, ſignificationem intendiſſe: ſolemne hoc eſt hæterodoxis, dum S. Scripturæ effatis ad errores ſuos confirmandos abutuntur. Quod ſi, ut nonnumquam evenit, alterius interpretatione

ſtan-

ſtandum ſit, ea ceteris paribus præferatur aliis, quæ a coævo, familiari, aut diſcipulo ipſius auctoris proficiſcitur, vel ſaltem ab eo, qui linguæ, ac argumenti, ſeu diſciplinæ, quæ pertractatur, majori præ reliquis notitia pollet.

Quid æquitas in interpretando? CCXXVII. *Æquitas in interpretando* eſt ſtudium verbis auctoris, quantum fieri poteſt, non niſi verum ſenſum tribuendi, famæque ipſius, ac honori, quantum licet, per interpretationem conſulendi.

Quæ ejus leges? Schol. Ad æquitatem hanc, cum inter naturæ rationalis officia reponi debeat, quemlibet obligari certum eſt; interea tamen multis modis in eam peccari ſolet. Id ne fiat, videamus, quæ ab ipſa exigantur.

1.) *Ut ſemper mitiorem in partem auctoris verba interpretemur*, ſenſumque veritati magis congruum, niſi manifeſte contrarium pateat, eligamus, etſi fortaſſis a communi loquendi uſu nonnihil recedendum, aut ipſa etiam ſtabilita definitio paullulum inflectenda foret: idque tum præcipue, cum occurrunt nonnulla, quæ inter ſe pugnare videntur; tum enim vero cura danda eſt, ut ſibi oppoſita congrua quadam interpretatione concilientur, nullaque, niſi aperta neceſſitas cogat, contradictio adſtruatur.

2.) *Ut ne ſenſum viro prudente indignum exſculpamus*; qualis foret 1. ad quem auctor nulla prius data occaſione devolveretur; 2. in quo nullum prudentem finem intendere poſſet; 3. in quo prorſus ad finem propoſitum inepte, aut inutiliter loqueretur; 4. in quo magno verborum apparatu circa facilem nullius momenti, aut conſecutionis rem verſaretur; 5. in quo demum exſpectationi audientium, aut merito cauſſæ & poſtulationi

ob₂

objecti prorſus non ſatisfaceret, & quæ ſunt ſimilia.

3.) *Ut ne conſectaria abſurda ex doctrina profluentia auctori attribuamus*, ipſumque propterea hæreticum, ſeditioſum, paciſque publicæ perturbatorem pronunciemus, quod a nonnullis, dum invidentia aguntur, fieri aſſolet; numquam enim auctor prudenter præſumitur aliam doctrinæ ſuæ conſecutionem intendere, niſi quam actu exprimit, quin ne cogitare quidem putandus eſt de aliis, niſi quæ ordinariæ ſunt, & cuivis ſaltem magis exercitato facile obviæ, cum nihil, niſi quod factu pronum eſt, præſumatur. Quis adeo perſpicax eſt, ut omnia, quæ ex ſententia ſua profluunt, continuo pervideat? Profecto optimo cuivis quandoque contingere poteſt, ut opinionem quampiam ex rationibus, ut ſibi videntur, efficaciſſimis propugnet, ex qua tamen nonnulla aut contra religionem aut adverſus reipublicæ ſtatum deduci poſſunt; quo in caſu ſententia quidem ea falſa eſt, auctorque erroris in ejus propugnatione admiſſi convinci debet, non tamen, niſi agnito ſubinde errori pertinaciter adhæreat, dici poteſt omnia ea abſurda, quæ inde promanant, docuiſſe, cum non docuerit, niſi quæ prævidit, ac fortaſſe hæc non prævideritʒ ſed potius interea indicandum, eum, ſi ea conſectaria cognoviſſet, a ſententia ſua fuiſſe receſſurum; nemini enim error, aut vitium adſcribi debet, niſi clare comprobetur.

4.) *Ut ne invidiam auctori creemus*, quod his fere modis fieri obſervat Joann. Clericus 1. „ Sententia, quæ oppugnatur, male explicatur. 2. Nominibus invidioſis infamatur. 3. cum inviſorum hominum dogmatibus confertur. 4. Exaggeratur momentum quæſtionis. 5. Inviſi redduntur boni, quod „ vo-

Diſſert. phil. de arg. theolog. ab invid. duct.

„ vocibus inventis uti nolint. 6. Studioſe „ occultantur rationes, quibus refutanda ſententia nititur. 7. Tacentur incommoda, „ quibus præmitur ſententia deferenda. 8. „ Prætermittuntur ea, quæ invidiam amoliri „ poſſent. 9. Invidioſa conſectaria deducuntur ex ſententia eorum, qui oppugnantur. „ 10. Malignis ſuſpicionibus premuntur. 11. „ Novitas illis objicitur quaſi crimen. 12. „ Miſcentur in diſceptationibus, quæ cum „ iis habentur, multa, quæ ad rem nihil „ faciunt, ſed quæ invidiæ creandæ apta „ ſunt. 13. In deteriorem partem accipiuntur indifferentia. 14. Provocatio fit a peritis judicibus ad imperitos. 15. Adverſarii denique quaſi immorigeri magiſtratibus „ infamantur. „ Hæc uti præclare monuit vitanda eſſe, ita primus eodem in loco omnium ſe reum fecit, dum S. Hieronymum contra hæreſiarchas Vigilantium, & Jovinianum ſcribentem horum vitiorum inſimulavit; ſed nempe accerimum illud in Romanam Eccleſiam, ſanctoſque ejus Patres odium, quod in omnibus illius ſcriptis tam luculenter elucet, philoſophi hujus mentem obſcuravit.

Quotuplices libri? CCXXVIII. Libri potiſſimum ſunt vel *hiſtorici*, qui facta recenſent, adeoque propoſitiones ſingulares continent; vel *dogmatici*, qui dogmata, ſeu veritates univerſales proponunt: ex his alii veritates, quas adſtruunt, ſimulque accurate demonſtrant, & *ſcientifici* nuncupantur; alii propoſitiones univerſales abſque demonſtratione, vel in rebus fidei divinæ citra probationes, atque argumenta ex theologicis fontibus petita, per modum ſolum hiſtoriæ referunt, quare *hiſtorico-dogmatici* audiunt.

Schol. Libri hiſtorico-dogmatici parum conducunt ad ſolidam ſcientiam comparandam; ad ſum-

ſummum inſerviunt ad diſponendos auditorum animos, vel ad compendiariam eorum, quæ jam didicerimus, anacæphaleoſin. Vera igitur eruditio ex libris ſcientificis hauriri debet, quorum lectio, ut tironi cum fructu cedat, ſequentia exigit.

1.) *Ordinem*, qui requirit, ut non provolemus ad ſubſequentia, niſi antecedentia rite aſſecuti; cum enim in libris ſcientificis ſubſequens propoſitio ex antecedente profluat, operam, oleumque perdet, qui propoſitionem quampiam temere in medio arreptam aggreditur, antequam ea, quæ præceſſerint, rite intellexerit. Ordinis hujus defectu tot inanes contra librorum obſcuritatem querelæ funduntur ab iis nimirum, qui moræ impatientes primis principiis, quantum neceſſe foret, expendendis inhærere nolunt, lectionemque libri a medio, aut prorſus a fine inchoant. Obſcurus quidem jure optimo habetur liber, ſi termini accurate non definiantur, vel alieno in ſenſu uſurpentur; ſi demonſtrationum principia reticeantur; ſi ordo demonſtrandi præpoſterus adhibeatur, aut omiſſis intermediis, nec ſuppletu facilibus ſtatim, & quaſi per ſaltum ad concluſiones remotiores transſvoletur, & quæ ſunt ſimilia: liber, qui ejuſmodi vitiis ſcatet, relinquendus potius, quam tenendus eſt, nec auctor, qui intelligi noluit, ullam meretur exiſtimationem. Porro ordo, de quo hic loquimur, non ſolum in uno, eodemque libro pervolvendo, ſed etiam in pluribus obſervandus eſt, ita ut ii prius legantur, qui aliis intelligendis luminis quidpiam collaturi videntur.

Quid in librorum lectione obſervandum?

2.) *Attentionem lentitudini junctam*, ſine qua ideas claras, ac diſtinctas numquam obtinebimus: præcipitantia, cui vividiora ingenia

nia præcipue obnoxia ſunt, frequenter prorſus inutilem reddit, quem librorum lectioni impendimus, laborem, hacque ratione fit, ut evoluto etiam integro libro, quid legerimus, ignoremus, argumenti ipſius quandoque vix memores. Deinde abſque meditatione nullus umquam in ſcientiis progreſſus ſperari poteſt; omnis autem meditatio moram, ac tempus requirit; quare non qui multos evolvit libros, ſed qui pauca ſeria meditatione in animum demiſit, multum legiſſe cenſendus eſt.

3.) *Repetitionem frequentem*; ſæpius enim redeundo ad præcedentia res longe clarior evadet, contingetque frequenter, ut tum demum priora rite perſpiciamus, quæ tamen optime nos jam penetraſſe putabamus: neque hoc mirum; nam & ipſa præcedentium intelligentia ſemper aliquo modo a ſubſequentibus pendet. Accedit, quod optatus lectionis fructus hauriri nequeat, niſi quæ legerimus, etiam memoria complectamur, cum, Tullio teſte, tantum ſciamus, quantum memoria tenemus; jam vero quis ignorat repetitionem frequentem ad res ipſas memoriæ imprimendas mirifice, & fere ſolum conducere, cum perſpicuum ſit nos eorum facilius recordari, quæ clarius, diſtinctius, & frequentius percepimus?

4.) *Continuationem moraliter non interruptam*; qui enim longiori tempore lectionem inchoatam intermittit, atque interea aliis ſeu libris, argumenti præſertim non ſatis noti, evolvendis, ſeu negotiis conficiendis operam dat, novis ideis animum imbuit: unde neceſſe eſt, ut vel idearum confuſio in mente oriatur, vel certe hauſta jam principia e memoria excidant. Horum quidquid eveniat, nexus ille veritatum pervideri amplius haud poteſt, in quo tamen perſpiciendo præcipuus, qui e lectione libri ſcientifici capi debet, fructus conſiſtit.

5.) *Ap-*

5.) *Applicationem*, quæ poſtulat, ut demonſtrationes univerſales, quas in auctore legimus, ad caſus ſingulares reducamus, eamdem in ſua principia reſolvamus, ipſique tentemus in re conſimili ſimilem demonſtrationem conficere: hac certe ratione & argumentorum vim, ac pondus, in quo rei cardo verſatur, perſpiciemus, & habitum demonſtrandi nobis denique comparabimus. Quo & illud pertinet, ut, quæ meditati ſumus, etiam voce proferre conemur, loquendo vel nobis ipſis, vel amico, quocum ſæpe conferre utiliſſimum, vel ſaltem ea breviter in chartam conjiciendo; ſic fiet, ut pedetentim ideas, mentiſque noſtræ conceptus in ordinem redigamus, habileſque efficiamur ad ea, quæ didicerimus, cum aliis communicanda, ut, qui litterariorum laborum finis non ultimus eſſe debet, utilia reipublicæ membra evadamus.

CAPUT VI.

DE IGNORANTIA, EJUSQUE CAUSSIS.

CCXXIX. Qui nulla veritatis indicia perſpicit, ſive generatim, qui nihil de re quapiam cognoſcit, eamdem *ignorare* dicitur (§. 206.): eſt proinde *ignorantia* cognitionis defectus, ſeu ſi mavis, ſtatus mentis cognitione deſtitutæ; ſic ignoro, *utrum Deus alium adhuc mundum conditurus ſit*. Quid ignorantia?

Schol. Non eſt inutile expendere magnitudinem noſtræ ignorantiæ, quæ multis modis cognitionem, qua pollemus, ſuperat; inde enim

 fiet,

fiet, ut otioſas diſputationes fugiamus, mentemque noſtram utilibus ſolum, ac iis, quæ illius captum non excedunt, contemplandis applicemus; veriſſimum namque eſt, quod ait Seneca, *neceſſaria ignoramus, quia ſuperflua diſcimus.* Neque vero procul petenda ſunt argumenta amplitudinem ignorantiæ noſtræ demonſtrantia: quicumque aliquid intelligit, intelligit ſimul adeſſe ſibi domeſtica perquam multa ignorantiæ exempla; non enim res eſt adeo vulgaris, & prope vix conſideratione digna, quæ non multis ex partibus adeo obſcura, tenebriſque involuta ſit, ut eæ etiam a perſpicaciſſimo intellectu diſpelli nequeant. Sed mali hujus originem perſcrutemur.

Cauſſa Ignorantiæ.

1.) *Defectus idearum;* & primum quidem de iis rebus, quæ ſuapte natura captum noſtrum non excedunt; vis certe noſtra percipiendi, ac intelligendi capacitas, ſi cum rerum, quæ ſciri poſſent, numero compararetur, admodum parva eſt. Ut nihil dicam de illis corporibus, quorum enormis eſt a nobis diſtantia, ob quam pauciſſima, aut prorſus etiam nihil de iis ſcire poſſumus, quam multa ſunt in hoc, quem inhabitamus, globo, quæ ob exilitatem ſuam ſenſus omnes, omnemque proinde cognitionem effugiunt? Ignoramus intimam elementorum, ex quibus corpora coaleſcunt, naturam, eorum vires, harumque virium diverſam plane conſpirationem, unde omnes ſenſibiles corporum qualitates denique oriuntur. Deinde ſi ad eas res animum advertamus, quæ ſecundum ſe præſentem noſtram capacitatem excedunt, quantus eſt numerus eorum, quæ a nobis neſciuntur? Ideas omnes, quas habere poſſumus, aut ſenſuum uſu, aut mentis operatione nobis comparamus,

mus; quis autem non videt, viam hanc ideas obtinendi perquam anguſtam eſſe? Quis determinet, quas alias ideas poſſint habere aliæ creaturæ in aliis univerſi partibus exiſtentes, quæ aliis ſenſibus, vel diverſis a nobis, vel etiam numero pluribus, & ampliori intelligendi facultate præditæ forent? Qui gratis hæc dici autumant, ſimiles mihi videntur homini ab incunabulis oculorum uſu deſtituto, qui colorum exiſtentiam negare vellet, propterea quod eorum ideam in animo ſuo informare nequiret.

2.) *Impotentia detegendi connexionem idearum, quas habemus;* perſpicacitas nempe humani ingenii admodum debilis, ac limitata eſt. Aliqui vix trium, aut quatuor idearum inter ſe relationem pervidere poſſunt; longius ſi ducantur, in meras tenebras incurrunt: unius hos ſyllogiſmi homines cum Lockio compellare licet; alii longiorem aliquantum idearum feriem mente complecti poſſunt, multa tamen non aſſequuntur; qui denique peſpicaciſſimi habentur, ſæpe hallucinantur. Quamdiu autem idearum, quas habemus, connexionem non perſpicimus, minime idonei ſumus cognitioni univerſali obtinendæ; unica tum via reſtat experientia; at hæc quam arcta, quam anguſta? Oritur hoc malum ex defectu idearum mediarum, quæ nobis ſenſim, & quaſi per gradus eam connexionem manifeſtare deberent. Sic nullam deprehendimus connexionem inter talem in organis ſenſoriis affectionem, & talem in mente ſenſationem, atque inde eſt, quod de ſenſationibus qualitatum ſenſibilium amplius quid non cognoſcamus, quam quod de iiſdem per experientiam nobis innoteſcit.

3.) *Socordia in ſequendis ideis, quas habemus.* Inde fit, ut in ignorantia verſemur etiam tum, cum ideas diſtinctas, earumque con-

nexionem cognitam habemus, aut ſaltem habere facile poſſumus; ſic multi ignorant veritates mathematicas, non ob tardiores ingenii vires, aut incertam rerum naturam, & conditionem, verum ob ſolum applicationis defectum, cum nolint ullam operam impendere ideis illis acquirendis, examinandis, atque debito inter ſe modo comparandis. Contingit id primum ex malo vocabulorum uſu, fieri enim nequit, ut, qui cognitiones ſuas ſonis duntaxat, qui de ſe dubiæ, & incertæ ſignificationis ſunt, affigit, umquam concordiam, aut repugnantiam idearum ſtudioſe quærat, aut certo detegat. Deinde vero etiam & frequentiſſime quidem ex ignavia, pro qua multi humanæ mentis imbecillitatem obtendunt; etſi enim multa a nobis ſciri nequeant, multa tamen etiam ſunt, quæ aſſequi poſſemus, ſi modo ignaviam noſtram ex naturali corporis inertia oriundam ſuperare vellemus. Hæc porro ignavia in cauſſa eſt, ut laborem fugiamus, moræque impatientes longius idearum examen horreamus, atque ad ea tantum animum applicemus, quæ ſine ingenti dedecore, aut maximo detrimento a nobis penitus ignorari non poſſunt.

4.) *Memoria*, quæ duplici modo ignorantiæ occaſionem præbet; 1. *infidelitate:* maximum & commune veræ ſcientiæ obſtaculum eſt defectus memoriæ; ubi enim elapſa eſt mente idea præcedens, jam ſubſequentia, quæ cum ea connexionem habent, non rite intelliguntur: memoria vivida, & tenaci opus eſt, ut, dum ſecundam ideam contemplari volumus, prima ſimul menti quam viviſſime repræſentetur, & ſecunda, cum ad tertiam progredimur, & ita porro; retineri præterea debent ſcientiarum principia, quæ jam didicimus, quod ſine iis animo actu præſentibus ulterius progredi non licet. Sed tamen

men deſperandum non eſt iis, qui imbecilliorem a natura memoriam nacti ſunt; poteſt ſiquidem ea, ut reliquæ omnes tam corporis, quam mentis facultates, continuo uſu augeri, ac roborari: ut quis de rure homo in dies aptior evadit ad gravius onus ferendum, longioremque viam conficiendam; ita quoque litteratus majorem quotidie habilitatem adipiſcitur, plures ſimul ideas, & cognitiones memoria ſua retinendi. Inter complura, quæ memoriæ excollendæ adjumenta præſcribi ſolent, non ultimo loco reponendum eſt illud, ut ideas, de quibus nobis judicandum eſt, in chartam conjiciamus; ſcriptio enim hæc eas rurſum oculorum ope menti repræſentat, figit, efficitque, ut ob mutuam connexionem aliæ quoque excitentur. 2. *Nimia præſtantia*, cui dum nimium confidunt nonnulli, interea excolere intellectum, feriæ meditationi inhærere, reſque ipſas perſcrutari negligunt, qua ratione fit, ut multarum rerum ignoratione teneantur, quantumvis verba memoriæ infixa ipſis non deſint. Vitium hoc pervulgatum eſſe in ætatis noſtræ adoleſcentibus, longa experientia, & non abſque dolore didici; ſunt certe, qui longiſſimas demonſtrationes ſeu metaphyſicas, ſeu mathematicas e memoria recitare norunt, nihil tamen eorum, quæ proloquuntur, intelligunt. Ejuſmodi qui ſunt, non tantum nulla obtinendæ ſcientiæ adjumenta ſibi comparant; ſed potius maxima ponunt impedimenta, ac ſpecioſa ignorantiæ fomenta ſibi congerunt, atque tandem annis aliquot elapſis, ubi ea, quæ ita memoriæ impreſſerunt, exciderint, rurſum tales evadunt, quales nondum incepto ſtudiorum curriculo fuerunt.

5.) *Confuſio ſtudiorum*, quæ ratio eſt omnino multiplex. Aliqui omne litteraturæ genus ſimul avidiſſime arripiunt; cuncta uno,

eodemque tempore condiſcere volunt; poetas, oratores, philoſophos, nummarios, botanicos, chemicos &c. ac imprimis eos, qui de omnibus tractant, legunt, vel indices ſolum, & librorum præfationes inſpiciunt, unde fit, ut ſupremis aliqua duntaxat labiis deguſtantes nihil non ſolide ignorent; mirum tamen, quantum ſeſe ejuſmodi efferant, ſibique de docta ſua ignorantia plaudant, ac alios vere eruditos, doctoſque viros arroganti ſupercilio deſpiciant: & proh quam ferax eſt id genus *ſciolorum* hæc, quam vivimus, ætas! Alias nulla methodo, nullo certo ordine litterarum ſtudia pertractantur; ſunt ingenia quædam fervida, quæ faciliora curſim tranſiliunt, atque ad difficiliora, quæ ſolum labore ſuo digna reputant, properant; at paullo poſt velut ad ſcopulum adhærentes progredi nequeunt, quare? Quod definitio obiter lecta jam mente elapſa eſt; quod axioma ceteroquin notiſſimum nunc non occurrit; verbo denique, quod prima principia, quæ nimis facilia videbantur, profunda meditatione in mentem admiſſa non fuerunt. Ipſe Nevvtonus vir certe inſignis ſe hac in parte deliquiſſe fatetur, atque ab ſe operam matheſi daturo Euclidem ut nimis facilem, ac ovium ſpretum fuiſſe deplorat. Alii contra, qui mediocris ſunt ingenii, modica quavis difficultate terrentur, nullamque in ea enodanda operam locant, ſed potius ad alia, ea prætermiſſa, tranſvolant, ingenti ſuo damno; cum enim neque ſubſequentia penetrent, auctis in dies difficultatibus tandem prorſus animum deſpondent. Nonnulli neglectis neceſſariis, quæ muneris ſui ratione ſcire tenerentur, inutilibus tantum ſe tradunt; iis unice delectantur, quæ magis curioſitatem alunt, quam intellectum perficiunt, aut verum quodpiam commodum adferunt. Denique alieno ſæpe tempore

Hiſt. de l' acad. roy de ſci. anno 1727. elog. Nevvt.

pore

pore arripiuntur ſtudia; non omnia omni ætati æque congruunt; quæ plus memoria nituntur, pueris; quæ ſolidius requirunt judicium, adoleſcentibus magis accomodata ſunt; quare graviter errant parentes, qui filios ſuos tum primum, cum jam philoſophiæ, aut juriſprudentiæ condiſcendæ maturi ſunt, linguarum, geographiæ, hiſtoriæ, aut arithmeticæ ſtudio occupant. His omnibus ignorantiam noſtram foveri in aperto eſt.

6.) *Defectus ſubſidiorum externorum*; ex inopia fortunarum ad vitam honeſte agendam oritur defectus librorum, reliquæque litterariæ ſupellectilis, nec non domeſticorum inſtitutorum, ſine quibus juvenis magnum in litteris progreſſum ægre faciet. Numquam illi parentes ſatis pro merito reprehendi poſſunt, qui omnem, quem pro prolium eruditione expenderint nummum, in perditis habent, quorumque curæ eo ſolum tendunt, ut amplum filiis patrimonium relinquant, quod ipſi in ſtupiditate, ac ignorantia educati paullo poſt dilapidaturi ſunt.

7.) *Libertas philoſophandi conſtricta*; dum enim non, quod ratio ſuadet, ſed quod aliis placuit, ſentire jubemur, non veritas ſtudioſe inquiritur, ſed aliorum ſenſa anxie explorantur; non indagantur firmiores rationes, non inſtituuntur experimenta; ſed in eorum locum auctoritas ſubſtituitur, argumentaque precaria undique conquiruntur, quibus periclitanti ſententiæ, in quam juratum eſt, quoquo modo ſucurratur; verbo denique, nihil novi moliminis ſuſcipitur, ſed auctorum dicta pro delphicis oraculis accipiuntur, novitaſque ipſa peccatum eſt. Si priorum temporum, quibus Ariſtoteles in ſcholis dominatum tenuit, memoriam recolere velimus, veriſſima hæc eſſe haud difficulter comperiemus; ſed non libet obductum jam ulcus refricare.

Ceterum libertatem philoſophandi dum petimus, eam nequaquam intelligi volumus, qua nonnulli hujus ævi philoſophi ad divinarum ſcripturarum comtemtionem, atque ad ipſa caſtiſſimæ religionis myſteria impugnanda impie abutuntur. Philoſophus noſter ita ſecum ſtatuat: omnibus libertatem ſentiendi permitti debere in iis, quæ ſolo rationis lumine inveſtigari poſſunt; at tolerari eam nullo prorſus modo poſſe, cum de illis agitur, quæ a divina ſolum revelatione proficiſcuntur, omnemque in ejuſmodi rebus novitatem in graviſſimi ſceleris loco habendam eſſe; cum enim Deus loquitur, neceſſe eſt, ut ratio naturalis conticeſcat; ejuſque auctoritati humanus ſeſe intellectus ſumma cum demiſſione ſubjiciat.

CAPUT VII.

DE

ERRORE, EJUSQUE FONTIBUS.

Quid error? CCXXX. Qui propoſitioni falſæ aſſenſum, aut veræ diſſenſum præbet, *errare* dicitur; in ejuſmodi igitur aſſenſu, vel diſſenſu *error* ſive *judicium erroneum* conſiſtit; ſic errat, qui judicat *animam eſſe corpus*.

Quid præjudicium? CCXXXI. *Præjudicium* eſt anticipata quædam, animoque alte infixa opinio, ex qua in caſu quodam ſingulari ad erroneum judicium formandum inducimur; ſic præjudicium eſt ea opinio, quæ vulgi animis inſidet: *omnia ſic eſſe conſtituta, prout ſenſibus apparent*, unde vulgus ſolem intuendo judicat: *illum eſſe trium, vel quatuor palmorum diſcum*.

COROLL. I. Quoties ex præjudicio quodpiam judicium formatur, adeſt occulta ſaltem ratiocina-

cinatio, cujus partem antecedentem ea ipſa præjudicata opinio agit; ſic enim in propoſito exemplo vulgus ratiocinatur: *res ita ſunt conſtituta, ut ſenſibus apparent; ſed ſol apparet meis ſenſibus eſſe diſcus trium vel quatuor palmorum: ergo.*

Coroll. 2. Cum ex vero antecedente non ſequatur falſum conſequens (§. 125. cor. 3.), neceſſe eſt, ut opinio illa anticipata ipſa quoque erronea ſit, eſtque reipſa judicium aliquod non tam actuale, quam habituale.

Schol. 1. Opiniones ejuſmodi anticipatæ, quibus homines paſſim abripi videmus, ſunt omnino diverſiſſimæ; videntur eæ tamen ad tres præcipue claſſes reduci poſſe, quas ignorare philoſophum non oportet; ſunt vero — Quæ præjudiciorum genera?

1.) *Præjudicia ætatis*: nulla hominum ætas a ſingularibus quibuſdam erroribus, ac ſibi velut propriis exemta eſt, ſed omnium maxime prima hoc morbo laborat. Mens noſtra omnium rerum ignara corpus ingreditur, neque in tenera illa ætate ulli ratiocinio, ſed ſenſationi ſolum, & phantaſiæ locus eſt; unde quidquid infantes audiunt, in veris habent: ad miſeriæ cumulum accedit, quod infantium cura iis fere committatur, quorum, omnium cum ſint rudiſſimi, ora non niſi fabellis abſurdis de ſpectris, lemuribus, occultis plantarum, & lapidum viribus, quin & graviſſimis circa mores, ac religionem erroribus plena ſunt, quod vehementer Tullius deplorat; „ ſimul atque editi in lucem, & „ ſuſcepti ſumus, in omni continuo pravita- „ te, & in ſumma opinionum perverſitate „ verſamur, ut pæne cum lacte nutricis er- „ rorem ſuxiſſe videamur. Cum vero paren- „ tibus redditi, & magiſtris traditi ſumus, „ tum ita variis imbuimur erroribus, ut va- „ nitati veritas, & opinioni confirmatæ na- — Qq. tuſc. l. 3. c. 1.

„ tura ipſa cedat. Accedunt etiam poetæ, „ qui cum magnam doctrinæ, ſapientiæque „ ſpeciem præ ſe tulerunt, audiuntur, le- „ guntur, ediſcuntur, & inhæreſcunt peni- „ nitus in mentibus. Tum vero accedit eo- „ dem quaſi maximus quidam magiſter popu- „ lus; atque omnis undique ad vitia conſen- „ tiens multitudo: tum plane inficimur opi- „ nionum pravitate, a naturaque ipſa deſci- „ ſcimus. „ Quare, ſed fruſtra, optaverat olim Chryſippus, ut pueri a philoſophis educarentur. Jam vero quid inde in reliquam vitam boni ſperari poſſit? Quæ primum infantium intellectui nondum re alia prævento, at ſimul opportunis præcavendi ſubſidiis deſtituto immiſſa ſunt, adeo profundas ſubinde radices agunt, præſertim ſi mala inſuper educatio, & longa conſuetudo accedat, ut fere in naturam abeant, & quaſi impoſſibile evadat eadem radicitus tollere, niſi adulti deinde omnia ad incudem revocent, rid gidiſſimoque examini ſubjiciant; at quotus quiſque eſt, qui hunc arduum ſane laborem, prout oportet, ſuſciperet? Infinita prope ſunt obſtacula, quæ tum a parentum, ac inſtitutorum auctoritate, tum ab ingenita ignavia opponuntur. Qui ejuſmodi opinionibus in infancia imbuti ſunt, cum adoleſcunt, eas propemodum ut res ſacras intuentur, ſolliciteque cavent, ne fortaſſis per novam quæſtionem ſuper iis inſtitutam profanentur; cum enim quandoque ſuper illas reflectunt, deprehendunt eas adeo antiquas eſſe, ut rem quamlibet aliam, cujus recordari poſſunt, nec advertunt, quando, quave ratione mentem ſubjerint, atque vel ſola hæc antiquitas ſacri quidpiam ipſis ſpirare videtur; inde fit, ut iiſdem tamquam principiis certiſſimis, ac indubitatis utantur, atque ad ea in quæſtionibus controverſis velut ad infallibilem veri-

tatis

tatis regulam provocent, temere & cæco prorſus impetu admittentes, quidquid ipſis conſentaneum: reſpuentes contra ſine ulteriori indagine, quidquid adverſum videtur.

2.) *Præjudicia opinionis receptæ, vel propriæ, vel familiæ, nationis, patriæ, vulgi, antiquitatis, novitatis.* Sunt videlicet, qui pro ſententia, pro qua ſemel animum obſirmarunt, velut pro aris, & focis depugnant; hæc totam quaſi ipſorum intelligentiæ ſphæram conficit; hic velut conſtricti hærent, nec facile egrediuntur; audiunt patienter alios, at ut rem aliter habere, ac ut ipſi pridem apud ſe ſtatuerunt, in animum inducant, nullis rationum momentis promoveri poſſunt. Sunt, qui communibus amicorum, factionis, patriæ, & provinciæ ſuæ opinionibus abripiuntur; torrentem hi ſequuntur: quære ex illis, cur huic vel illi opinioni firmiter adeo adhæreant? reponent: tot illuſtres viri ex mea familia, vel natione idem opinati ſunt, cur ergo ab eorum mente recedam? At num etiam illuſtres hi viri ex ſolo, ut decuiſſet, veritatis amore ejuſmodi ſententias & docuerint, & propugnaverint, non indagant; puto tamen nos frequenter contrarium experturos, ſi occulta illa motiva, quibus nonnumquam homines etiam docti, & ſapientes, ii præſertim, qui ſectarum, factionumque capita eſſe amant, impelluntur, detegere poſſemus. Vulgus deinde quot non præjudicia fovet? Seu enim mores, ſeu vitæ rationes, ſeu alia quæcumque ſpectentur, quot ubique errores, aniles fabulæ, ſenſuum, ac phantaſiæ illuſiones in evidentiſſimis veritatibus habentur? Eſto vero etiam, ſubſit quandoque veri quidpiam rumoribus vulgi; plurima certe, ut illud deprehendatur, reſecari debent, ea præcipue, quæ mirabilitatis magnæ ſpeciem præſeferunt; hiſce enim rudes animi facillime per-

celluntur, cumque, neglecta intellectus cultura, vivaci potiſſimum imaginatione polleant, magnum iis in rebus fingendi campum nanciſcuntur. Non eſt quidem, quod miremur, tam uberem errorum ſegetem in eorum mentibus excreſcere, quos una hæc cura ſollicitos tenet, ut ſibi, ſuiſque prolibus alimenta procurent; at ingens eſſe in aliorum animos opinionum vulgi imperium, id enim vero mirum. Quam exiguus eorum numerus eſt, qui publica judicia contemnere audeant? quam multi cum turba errare malunt, quam cum paucis ſapere? Ejus rei periculum numquam eſt majus, atque cum de iis agitur judiciis, ad quæ vulgus nationum odio, patriæ amore, lucri cupiditate, aut mali gravioris metu impellitur. His erroribus nullo prorſus negotio ſapientiores quoque inficiuntur; cum enim ſeſe partem ejus eſſe populi conſiderant, communis etiam commodi inde orituri ſpe alliciuntur. Sunt denique, qui, cum nimia veteres æſtimatione proſequantur, non niſi antiqua probant, aut ab oppoſito, quibus nihil ſapit, niſi quod novum eſt: illi recentiora quæque ſolo novitatis titulo rejiciunt; hi omnes ſine diſcrimine veteres, eorumque opera, & labores contemnunt: graviſſimo utrique præjudicio laborant; etenim & multa egregia a veteribus præſtita ſunt, & ſæpe tamen etiam hallucinata eſt antiquitas, atque idem prorſus noſtris temporibus commune eſt, neque ſemper recentioris ævi auctores, ut oporteret, ſapiunt: quare nec ſola annorum diuturnitas veritati pondus addere, nec novitas eidem obeſſe cenſenda eſt, duoque hi ſcopuli philoſopho in indagatione veritatis magnopere cavendi veniunt, inconſultus nimirum novitatis amor, & cæca antiquitatis ſervitus.

3.) *Præjudicia auctoritatis*, quæ ex nimia alio-

aliorum auctoritatis exiſtimatione oriuntur, qua fit, ut propoſitionibus univerſalibus, quæ non credi, verum ſciri debent (§. 221. cor.), ob ſolum eruditorum teſtimonium aſſenſus præſtetur. Nolim equidem auctor eſſe, ut viro doctrinæ fama percelebri temere contradicatur; magis enim convenit, ut noſtris potius facultatibus diffidentes nondum omnia ea in re rite nos perſpexiſſe arbitremur: neque tamen propterea illico conquieſcendum eſt, ſed veritas ſollicite inveſtiganda, dum re omnimode penetrata, vel cum illo conſentiamus, vel ab ejus ſententia modeſte recedamus. Huic præjudicio omnis quidem, ſed cumprimis rurſum tenera ætas ſubjecta eſt, unde infinitus prope eorum cumulus in omnem reliquam vitam enaſcitur; infantes enim, ac pueri cum neque rei, neque ipſius auctoritatis examinandæ capaces ſint, ſimulque ſubmiſſionem illam, quam in actionibus ſuis & excipiendis religionis inſtitutionibus aliorum directioni præſtare coguntur, ab ea, quæ ad opiniones pertinet, non diſcernant, auctoritatem quamlibet ſeu parentum, ſeu nutricum, ſeu aliorum inſtitutorum pro unica veritatis regula admittunt, quo fit, ut, quidquid cum ea non pugnat, temere arripiant. Adoleſcunt equidem, eamque ſubinde ætatem attingunt, qua propria ratione uti poſſunt; at quis jam numeret errores, quibus interea eorum mens imbuta fuit? Qua vero ſe ratione iis exonerabunt? difficillimum eſt referre inter falſa, quæ quis longiſſimo tempore vera eſſe judicaverit. Ea porro ætate nova, eaque permulta formantur judicia, ſed, cum non niſi concluſiones ſint ex anticipatis erroribus deductæ, æque falſa. Succedunt tandem anni, quibus diſciplinæ ſeveriores ſeu privatim, ſeu publice condiſcendæ ſunt, tum vero nova magiſtrorum auctoritas juve-

juvenum animos obruit; hic velut ad ſaxum hærent, nefaſque putant ab opinione inſtitutoris ſui vel latum unguem diſcedere; vidimus id olim in Pythagoræis, quorum illud pervulgatum *αὐτὸς ἔφα* ſatis demonſtrat, quam pertinaciter magiſtri ſui auctoritati adhæſerint; vidimus id ſubinde in Peripateticis, qui errores quam plurimos per plura ſæcula diſſeminarunt ſola Ariſtotelis auctoritate ducti, quem tamquam *humani ingenii finem* venerabantur; vidimus id recentius in Carteſianis, qui eruditas ducis ſui fabulas in certiſſimæ veritatis locum adoptarunt; videre id denique & nunc quoque poſſumus; eſt enim & ætas quoque noſtra eorum fertilis, qui adeo ſervili ſunt ingenio, ut, quod facilius eſt, credere malint, quam ſcire, quod operoſius, quique patentes etiam errores auctoris cujuſdam, cujus placita ſequi decreverunt, amplectuntur: ſapienter hanc in rem Tullius:

D. nat. D. l. 1. c. 5. „ Qui requirunt, quid quaque in re ipſi ſentiamus, curioſius id faciunt, quam neceſſe eſt: non enim tam auctores in diſputando, quam rationis momenta quærenda ſunt. Quin etiam obeſt pleſumque iis, qui diſcere volunt, auctoritas eorum, qui ſe docere profitentur: deſinunt enim ſuum judicium adhibere; id habent ratum, quod ab eo, quem probant, judicatum vident. Nec vero probare ſoleo id, quod de Pythagoricis accepimus, quos ferunt, ſi quid affirmarent in diſputando, cum ex iis quæreretur, quare ita eſſet, reſpondere ſolitos, ipſe dixit: ipſe autem erat Pythagoras. Tantum præjudicata opinio poterat, ut etiam ſine ratione valeret auctoritas. „ Sed neque cum hiſce annis auctoritatis imperium terminatur, & viri quoque ſæpe non ineruditi eidem ſubjiciuntur; nihil enim eſt pronius, quam ut ea pro veris habeantur;

quæ

quæ a doctioribus audiuntur, utque eorum doctrina cum ſolida veritatis demonſtratione confundatur. Atque hæc eſt ratio, cur rariſſime deſerantur opiniones jam receptæ; cur multa ſolo novitatis titulo rejiciantur; cur eæ præferantur ſententiæ, quæ provinciæ, in qua degimus, aut familiæ, cui nomen dedimus, communiores ſunt; cur in una regione verum videatur, quod in altera ut falſum rejicitur, quaſi glebæ adſcripta foret veritas.

Schol. 2. Verum non præjudiciis modo errores originem ſuam debent; ſed alii quoque ſunt, ac fere innumeri eorum fontes: horum præcipuos jam adducam, quo tiro philoſophus cautiſſime incedere condiſcat.

Fontes Errorum.

1.) *Defectus ſeriæ voluntatis momenta rationum expendendi*, in iis præcipue, qui ceteroquin & occaſionem, & otium, & requiſitam mentis perſpicaciam nacti ſunt. Nempe alii inordinato voluptatum ſtudio trahuntur, quod, cum animum emolliat, eumque objecto voluptatis nimium affigat, attentionem diſtrahit, mentiſque acumen retundit: alii nimia ad negotia ſua applicatione; alii averſione quadam a meditatione, librorumque lectione prope generali ita retinentur conſtricti, ut numquam ſeriam cogitationem in animum admittant; alii metuunt, ne anxia, atque ab omni partium ſtudio remota veritatis inquiſitio ſibi, ſuiſque anticipatis opinionibus, ac receptæ jam vivendi rationi minus faveat; unde opiniones, quas ſibi commodum allaturas arbitrantur, abſque omni indagine accipiunt, ſi modo ab aliis quoque, quicumque ii fuerint, eas foveri videant. Nonnumquam affectata propriæ imbecillitatis opinio efficit, ut ho-

mines

mines animum deſpondeant, nihilque per ſe ipſos tentare audeant, ſed ea cæce amplectantur, quæ a majoribus tradita acceperunt: id ſi omnium adhuc philoſophantium animis inſediſſet, etiamnum in antiquis ignorantiæ tenebris palparemus; nonnulli denique adeo ſuperſtitioſe vitæ ſuæ, ac valetudini conſervandæ ſtudent, ut omnem horam, quam meditationi litterariæ, aut lectioni impendunt, eidem detractam putent; at hi quidem noſſe deberent, non tam litterarum ſtudia, quam otium, voluptateſque corporeas, quibus plus æquo indulgent, valetudini obeſſe: nec deſunt virorum doctiſſimorum exempla, quibus id confirmari poteſt; Democritus ad centeſimum; Plato ad octogeſimum primum; S. Hieronymus ad nonageſimum primum; Nevvtonus ad octogeſimum primum inter continuos litterarum labores vitam protraxerunt.

2.) *Affectiones animi dominantes*. Nulla fere argumenta, quæ affectionibus, ac deſideriis noſtris contraria ſunt, aliquod apud nos pondus obtinent; *quod volumus, facile credimus*: effatum eſt certiſſimum. Sæpius quorumdam in admittendis veritatibus moralibus obſtinationem mecum expendens mirari ſoleo, qui fiat, ut ii ipſi, qui cuivis legitimæ demonſtrationi geometricæ abſque mora aſſentiuntur, recuſent tamen aliis veritatibus non minus evidenter demonſtratis, quales ſunt: *exſiſtentia unius Numinis, ejuſque providentia ad minima quævis ſeſe porrigens, cultus eidem naturaliter debitus, animæ humanæ libertas indifferentiæ, ac naturalis immortalitas &c. &c.* firmum aſſenſum præbere: hujus profecto diſcriminis ratio non alio ex fonte peti debet, quam ab inordinatis animi affectionibus, quibus illæ nullo pacto: hæc vero quam maxime adverſantur. Veritas nimirum tantum theoretica nullum invenit adverſarium, niſi igno-

ignorantiam, quam a ſe diſpelli nemo non lubens patitur: at veritas practica in tot incurrit hoſtes, quot ſunt malæ animi affectiones, quotque perverſam vivendi rationem amant, qui propterea omnia malunt, quam in id genus enunciationibus veritatem intueri (conſ. 170. ſchol. n. 4.). Tales qui ſunt, rationibus etiam evidentiſſimis non cedunt, ſemper, quod obmoveant, habent; jam latentem in vocabulis æquivocationem timent; jam in polyſyllogiſmo longiori unam aliquam concluſionem male deductam ſuſpicantur; jam quid in partem oppoſitam dici poſſit, ſe ignorare ſimulant; quodſi iis arma hæc omnia extorſeris, occinent denique; forſitan æqua eſt utrinque probabilitas, forſitan....; verbo convinci nolunt, tritoque illo utuntur: *non perſuadebis, etiamſi perſuaſeris*. Neque vero hoc mirum eſt; qui enim affectu quopiam agitatur, nihil videt, niſi quod cum eo connexum eſt; nullas percipit ideas, niſi quæ cum illo viciniorem relationem habent; ad alias nec attendit, neque res ei repræſentantur, ut in ſe ſunt, ſed ut ab affectione depinguntur: quare cum ita a natura conſtituti ſimus, ut vivacior in nobis impreſſio omnem ad ſe attentionem avocet, fieri non poteſt, ut perdurante affectionis impetu animus veritatis indagationi ſerio applicetur; ſed evenire neceſſe eſt, ut quæ primo affectus, non quæ ratio ſuaſerit, in veris habeantur.

Quo de horum veritate amplius convincamur, ad particularia paulliſper deſcendamus: qui nimio in alterum amore fertur, nihil in eo videt, niſi quod laude dignum ſit, ipſaque ei vitia virtutis ſpeciem induere videntur; odium contraria omnia imperat, verbo: in amicis omnia; in inimicis nihil probamus. Quoties accidit, ut, cum auctor etiamnum latet, doctrinam ab eo propoſitam acerrime im-

impugnemus, quin ignominioſis etiam eamdem nominibus oneremus? At ubi deinde conſtiterit fuiſſe amicum, improvide dicta ingenioſe retractamus; nonnulla leviter carpentes, reliqua juſtam habere excuſationem cenſemus: inde oritur pervulgatum illud partium ſtudium, quod non modo hiſtoricos, ſed ipſos etiam philoſophos frequentiſſime corrumpit; inde aliqui ejus ſolum auctoris pronunciata dilaudant, qui ejuſdem cum ipſis nationis eſt, & patriæ, ut in Anglia, Gallia, Germania contigiſſe novimus, cum plures Nevvtono, Carteſio, Leibnitio ante adhæſerunt, quam quid a viris his præſtantiſſimis doceatur, rite intellexerunt; inde ſervilis illa apud nonnullos antiquitatis veneratio; inde immoderatum novitatis ſtudium; inde eas ſæpe ſine examine rejicimus ſententias, quæ ab inviſo nobis doctore proficiſcuntur, quaſi veri nihil dici poſſit ab iis, quos odio habemus; cujus vitii reos olim ſe fecerunt Carteſianorum nonnulli, qui ſine ulteriori inquiſitione eo ſolum titulo multa rejecerunt, quod ab Ariſtotelicis tradita fuerant: auream hac in re præſtituit regulam P. Buffier; *ut, cum de amico ratiocinandum eſt, videamus, quid ex propoſitis argumentis concluderemus, ſi de inimico ageretur, & viciſſim*. Spes, deſiderium, timor efficiunt, ut facile ea fieri, aut facta eſſe credamus, quæ cupimus, aut timemus; belli tempore id cumprimis videri poteſt; cuilibet tum rumori fides habetur, nec raro contingit, ut hodie cæſum doleamus exercitum, quem inſignem de hoſtibus victoriam retuliſſe heri ſine dubitatione credidimus; atque inde omnes fere veterum gentilium ſuperſtitiones, illæque de cometis, eclipſibus, aliiſque portentis cæleſtibus fabulæ ortum traxerunt. Superbia, ſive nimius ſui, rerumque ſuarum amor, ubi animum occupa-

vit,

vit, in cauſſa eſt, ut nihil ſapiat, niſi quod ſuum eſt; hinc ejuſmodi homines alios præ ſe deſpiciunt, & cum turpe putent ab aliis doceri, malunt abſurdiſſimos errores, ſi modo ſingulares ſint, amplecti, ſpecialis inde perſpicacitatis, ac magnanimæ in quærenda veritate libertatis gloriam aucupantes. Indubitatum mihi prorſus videtur, opiniones aperte adeo abſurdas, quas in antiqua Græcorum philoſophia complures viguiſſe novimus, ex hoc præcipue fonte profluxiſſe, ac hodie etiamnum profluere apud eos, qui magis gloriæ, quam veritatis amore ducuntur; quam multi enim noſtra hac ætate ita litterarum ſtudiis animum applicant, ut non tam veritatem quærant, quam gloriolæ auram captent? Inde illas tantum diſciplinas condiſcunt, quæ ea in regione, illoque tempore præ aliis celebrantur, atque in his ipſis ea ſolum ſeligunt, quibus ſeſe indoctis facilius fucum facturos ſperant; inde in ſcientiam quampiam univerſalem inquirunt, ex omnibus aliquid addiſcunt; at non plus, quam ſufficere putent, ut minus expertis a ſe omnia ſciri perſuadeant; cumque omnem ignorantiæ umbram magna cura fugiant, contemtim loquuntur de iis, quæ ipſi non aſſequuntur; aut facilioribus neglectis in ſublimibus duntaxat velut aquilæ nidos exſtruunt. Longum foret per reliquam affectionum turmam diſcurrere; generatim veriſſime pronunciavit Tullius „ plura multo homines judicant odio, „ aut amore, aut cupiditate, aut iracundia, „ aut dolore, aut lætitia, aut ſpe, aut timore, aut alia permotione mentis, quam „ veritate. „ Philoſophus igitur ſollicite caveat, ne umquam fervente affectionis æſtu judicium ferat, exſpectet, donec ſedato tumultu ſua menti redeat ſerenitas, eamque, quæ de bono affectionum uſu uberius tractat,

De orat. l. 2. c. 42.

phi-

philoſophiæ partem tam lectione, quam exercitatione ſibi optime perſpectam reddat.

3.) *Naturalis corporis inertia.* Eſt corpus noſtrum natura ſua iners, laboris impatiens, levique moleſtia frangitur, quo fit, ut minuatur attentio, eorumque tædium generetur, quæ longiorem induſtriam requirunt, ac mens ipſa meditationi intenta a corpore retardetur: hinc multa tranſilimus contenti, ſi modo in ſcientiis ſublimioribus non rudes plane, ac hoſpites habeamur, nec ulla nos de doctrinæ ſoliditate, & perfectione cura tenet; terremur magnis auctorum voluminibus; compendia amamus, eoſque præcipue libellos exquirimus, qui magnificis titulis integras, difficillimaſque ſcientias paucis ſeſe paginis complexuros promittunt. Accedit diverſa ipſius corporis conſtitutio, a qua ingenium, intellectus acumen, memoriæ, ac imaginationis vis, experientia teſte, pendent; inde tarditas, confuſio, incoſtantia, aliæque conſimiles animi miſeriæ, quibus paſſim homines obnoxios videmus. Morbos denique ſapientiæ ſtudio plurimum obeſſe non ignotum eſſe poteſt; & ſenſus quoque incautis frequentes errorum occaſiones præbere diximus (§§. 175. 176.). Sed quid jam tot inter obſtacula ab ipſa natura poſita philoſopho agendum? rectam primum ſibi corporis habitudinem tum moderato cibi, potuſque uſu, tum interpoſita nonnumquam animi remiſſione, tum medicamentis etiam, ſi neceſſe ſit, procuret: deinde vero paullatim continuata attentione, ac meditatione ſtudendi habitum contrahere conetur; ſenſim enim difficilis illa cum corporis pondere colluctatio mitior efficitur. Nihil eſt, verba ſunt Senecæ, „ tam difficile, & arduum, „ quod non humana mens vincat, & in familiaritatem perducat aſſidua meditatio. „

De ira l. 2. c. 12.

4.) *Nimia ingenii, ac perſpicacitatis fiducia.*

Qui

Qui hoc vitio laborant, a ſolida rationum inveſtigatione abſtinent, quavis primo occurrente contenti; ſtatim ſibi ſatisfaciunt, dumque tamen ſciendi aviditate tenentur, magis de rerum copia, quam doctrinæ ſoliditate ſollciti ſunt. Oritur inde *præcipitantia*, ampliſſimus errorum fons, ac fere majori hominum parti communis, ex quo innumera judicia erronea ſive in diſciplinis, ſive in vita civili originem ducunt; hinc enim fit, ut tam frequenter ex uno vel altero facto ſingulari illico univerſim concludamus; contingat, ut quis ſemel, aut iterum in re quapiam labatur, aut optatum in negotio exitum non conſequatur, continuo talis qui eſt, ad omne vel inſtituti, vel artis, vel negotii genus tractandum ineptiſſimus declaratur; hinc fit, ut ab oppoſito ſæpe lapſus occultemus, nec niſi ad id attendamus, quod ſucceſſu non caruit: ſic qui aſtrologis fidem habent, ad ea ſolum, licet pauciſſima, attendunt, quæ caſu quodam fortuito prænunciationi reſponderunt; alia, & quamplurima, in quibus prædictionum vanitas evidenter apparuit, ſtudioſe ſupprimunt.

5.) *Confuſio idearum*, quæ contingit 1. ſi *relativa pro abſolutis habeantur*; cum enim idea relativa nihil extra mentem repræſentet, ſed duarum ſolum aliarum comparatione efficiatur, toties erramus, quoties per talem ideam aliquid reipſa exſiſtens exhiberi putamus; ſic, cum de rerum magnitudine loquentes, dicimus: *Cajum eſſe magno ingenio*, id nihil ſignificat, niſi collatio fiat cum aliorum ingeniis: ex hoc fonte fluit eorum impietas, qui majora in hoc univerſo corpora contemplantes facile quidem adducuntur, ut ea ſpeciali Conditoris providentia adminiſtrari credant; at vero ut in inſectis quoque opinione hominum viliſſimis, in minutiſſimorum pul-

pulverum, ipſarumque atomorum, motu eamdem ſapientiſſimam mentem gubernatricem adorent, nulla ratione permoveri poſſunt, quaſi aliquid comparate ad ſummum Creatorem magnum, aut parvum foret. 2. *Si abſtracta pro concretis*: nam & earum quoque objecta extra mentis complexum non exſiſtunt (§. 73. ſchol. I. 2.); quo pertinet quæſtio de univerſali a parte rei tanta olim laterum contentione agitata. 3. *Si clare pro diſtinctis*, aut *hæ pro adæquatis*: quando enim eo pervenimus, ut rem ab omni alia diſcernamus, neque amplius quidquam in ea cognitione attingere poſſimus, facile nobis perſuademus, nihil reapſe aliud, quod cognoſci poſſet, in ea latere; ſic *aurum* diſtinguimus ab omni alio metallo, multaſque ejus proprietates perſpicimus; ſed quis pro certo afferat nullas præterea in eodem ineſſe, aut etiam inter aurum unum & alterum nullam prorſus dari differentiam? ideas hac ratione confundunt, qui putant reales ſubſtantiarum exſiſtentium eſſentias nobis notas eſſe. 4. *Si conſociata pro complexis*: contingit nimirum, ut in pſychologia docetur, ut ideæ, quas uno ſimul tempore obtinuimus, præſertim ſi vehementer ob vivacem impreſſionem mentem affecerint, etſi in ſe diverſæ ſint, ita copulentur, ut quoties ſubinde una redit, altera quoque menti recurrat, nec facili amplius negotio ſeparari queant; jam vero hic lapis eſt, in quem incauti frequenter offendunt; dum enim non ſufficientem adferunt attentionem, ideas id genus recurrentes non diſcernunt, eaſque ut unam complexam, ac ad eamdem rem pertinentem intuentur, ex quo innumeros errores, falſaque judicia profluere neceſſe eſt. Sic quando infantibus tempore nocturno a nutricibus abſurdæ illæ de ſpectris, & lemuribus fabellæ narrantur, in

tene-

tenero eorum cerebro *idea tenebrarum* cum *ideis ſpectrorum* ita conſociatur, ut deinceps ea recurrente & hæ recurrant, quas cum minime diſtinguant, in unam confundunt; atque hinc tota ſæpe vita vano ſpectrorum metu in tenebris anguntur, ita ut jam veſperaſcente cælo ſoli eſſe non ſuſtineant. Habet tamen hæc idearum conſociatio magnum aliquando uſum; inde enim, ut alia taceam, ſuperiorum in ſubditos imperium maximam accipit firmitatem, quod imperii hujus idea cum ideis reverentiæ, ac timoris arcte conjuncta eſt: ejus rei documentum exſtat in bello, quod Scythæ olim contra rebellantes ſervos ſuſcipere coacti ſunt; nam perduelles hi, ut poſt Herodotum Juſtinus refert, cum a dominis ſuis armorum ope nulla ratione ſuperari poſſent, levi protſus negotio virgis, ac flagellis, uſitata ſcilicet mancipiorum caſtigatione, ſub jugum miſſi ſunt. L. 2. c. 5.

6.) *Malus vocabulorum uſus.* Ita conſuetudo obtinuit, ut in teneriori ætate vocabula memoriæ imprimamus nondum juſtis de rebus ipſis, eorumque ſignificatione ideis mente efformatis, quid jam vero inde conſequitur? Id, ut loquentes vocibus, quibus utimur, non ſubjiciamus niſi ideas confuſas, obſcuras, aut omnino nullas, utque, quoties per reliquam vitam eadem vocabula ab aliis pronunciari audimus, eaſdem quoque imperfectas ideas in animo excitemus, quæ infinitis prope erroribus occaſionem faciunt. Ad hunc errorum fontem obſtruendum neceſſe eſt, ut, qui philoſophari incipiunt, vocabula, ideaſque illis adhuc ſubſtitutas de novo in examen vocent, vitiaque jam inveterata per ſeriam idearum quaſi correctionem emendent; præcipue vero ad id enitantur, ut ſingulis, quibus utuntur vocabulis, quantum fieri poteſt, claram, & diſtinctam ideam ſubjiciant; nimis enim fre-

queus

quens eſt, ut putemus nos vocabuli cujuſdam poteſtatem aut nunc perfecte aſſequi, aut ſaltem alias aſſecutos eſſe; quod nullo tamen modo intelligimus, ſed ex longa ſolum conſuetudine enunciamus. Sed de his abunde dictum eſt (cap. 5. part. 1.); erat tamen res hæc tanti momenti, ut non immerito hic iterum in memoriam revocanda fuerit.

Quid ſapiens dubitatio?

CCXXXII. *Sapiens dubitatio* eſt retentio judicii, cum veritas menti non ſatis relucet, donec ea accuratiori examine melius inveſtigetur.

An ea errorum remedium?

CCXXXIII. *Sapiens dubitatio eſt remedium univerſale contra omnia præjudicia, erroreſque alios unde demum cumque oriundos.* Qui enim veritate, non ſatis relucente judicium ſuſpendit, non ſequitur in judicando opiniones anticipatas, nec judicium, fert, antequam convenientiam, vel repugnantiam prædicati cum ſubjecto clare pervideat; ſed talis rite judicat, atque ab omni errore remotus eſt (conf. §. 93. ſchol.): igitur ſapienti dubitatione omnia præjudicia, atque errores certiſſime declinantur.

Schol. Sapientem dubitationem præſcribimus; nam ſcepticum illud, ac univerſale de omnibus veritatibus etiam evidentiſſimis dubium omnino ſtultum eſt, quod olim magnæ Academicorum parti, tum etiam Pyrrhoni, ejuſque aſſeclis placuit, qui de omnibus ſine fine, & ſpe diſcendi dubitare voluerunt, & nunc etiam placet iis, quibus ſuave religionis jugum ferri non poſſe videtur. Quare ſapientiſſime monuit Carteſius, philoſophiæ ſtudium a dubitatione inchoandum eſſe, cum alia via non appareat, qua tot præjudicatæ opiniones animo exſtirpentur; quod ego ita accipiendum eſſe exiſtimo, ut primo dubium iſtud neque ad certa, & per ſe evidentia, in quibus inſanum: neque

que ad ſanctiſſima religionis myſteria, in quibus temerarium foret dubitare, extendatur; deinde etiam in rebus agendis, ubi operandi neceſſitas adeſt, ab eo prudenter caveamus; in negotiis enim quotidianis, quæ expediri debent, nec differri poſſunt, ſola frequenter veriſimilitudine contenti eſſe cogimur, neque ſemper rationes omnes ad amuſſim exigi poſſunt, modo ne quid temere, aut præcipitanter ſtatuatur (conf. §. 216. ſchol. n. 2.). Igitur philoſophiæ tiro medicamento hoc ita utatur, ut primo omnium loco mentem ſuam exuat omnibus, quas anteactæ vitæ conſuetudine temere arripuit, opinionibus nullamque earum amplius in veris habeat, niſi maturo prius examine probatam, attentoque ad rationum momenta animo expenſam. Sed hæc quaſi per gradus præſtanda erunt, neque enim mens noſtra omnes ſimul acquirit vires: ſatis erit, ſi in omnibus occaſionibus, ubi rem quampiam ſeria meditatione evolvit, ſollicite diſpiciat, utrum principia, ex quibus præſentes concluſiones profluunt, aliquando accurate expenderit; inde fiet, ut non admittat conſecutiones, niſi quæ principiis certis, ac evidentibus nituntur. Deinde cum audit contradici ab aliis, impugnarique opiniones, quas adhuc in certiſſimis habuit, rurſum indaget, num umquam argumenta ſuæ opinionis in examen vocaverit; id ſi factum non eſſe deprehendatur, tum fiat, ſimulque oppoſitæ ſententiæ rationes ponderentur. Cumprimis vero examen iſtud inſtituendum circa opiniones nationis, aut familiæ, quæ nobis quaſi domeſticæ ſunt, quod magna quandoque obſtacula perfringenda habet; cum enim ſæpe noxium ſit a communi opinione recedere, facillime in ejuſmodi inveſtigatione labimur, rationeſque oppoſitas levi attentione percurrimus metuentes, ne ſententiæ, quam commodi cujuſpiam amore veram

eſſe cupimus, falſitas patefiat: actum agit, qui in veritatis inquiſitione timore, aut deſiderio agitur.

CAPUT VIII.

DE CONCERTATIONE LITTERARIA.

Quid convincere, refellere, & impugnare? CCXXXIV. Qui efficit, ut alteri veritas fiat certa, *convincit*; alter vero *convincitur*: qui alterius ſententiam demonſtrat eſſe falſam, *refutat*, ſive *refellit*; qui vero insufficienter ſolum propoſitionis falſitatem probat, *impugnat*: ſive *atheos*, *vel deiſtas refellimus*; *ſyſtema terræ motæ a quibuſdam impugnatur*.

COROLL. In refutatione convictio; non item in impugnatione locum habet.

Quid concertatio litteraria? CCXXXV. *Concertatio litteraria* fit, cum alter alterius ſententiam vel refutat, vel impugnat. Propoſitio in quæſtionem vocata latinis *poſitio*, græcis *theſis* nuncupatur.

COROLL. Concertantium igitur unus negat, quod alter affirmat; ac inde ſibi contradicunt; atque hinc tritum illud oritur: *concertantes verſantur in terminis contradictoriis*.

SCHOL. Plura ſunt, quæ generatim in omni concertatione litteraria obſervari utiliter poſſunt, ac vero etiam debent: ergo aliqua pro inſtituto attingam.

Le-

Leges generales concertationis litterariæ.

1.) *Concertatio amore duntaxat veritatis vel inveniendæ, vel amplius cognoſcendæ inſtituenda eſt*; abeſſe proinde procul debet omnis inordinata animi affectio, partium ſtudium, & quæcumque veritatis inventionem impediunt magis, quam promovent; præclare Tullius: „ cupio refelli: quid enim labo„ ro, niſi ut veritas in omni quæſtione ex„ plicetur. „ De iis igitur rebus, quarum aliunde jam certa habetur veritas, aut quæ humani ingenii captum ſuperant, non diſceptetur. Qq. tuſc. l. 3. c. 20.

2.) *Status controverſiæ primo omnium loco verbis quam uſitatiſſimis, & maxime aptis exponatur, ac prorſus nitide explicetur*: quod niſi fiat, pronum eſt, ut in partes prorſus contrarias abeant concertantes, nec ſeſe mutuo intelligant, totaque tandem diſceptatio in logomachiam ſive inutilem de vocabulo litem degeneret (conf. §. 202. ſchol. l. 1.). Sed & definito jam concertationis capite magnopere cavendum, ne in diſputationis fervore ab eo recedatur, quique in hoc deliquerit, abſque mora in viam revocandus eſt.

3.) *Concertantibus ſint quædam principia, in quibus uterque conveniat, communia*; cum enim concluſioni majus robur competere nequeat, quam principio, ex quo ea profluit, niſi iſtud ſit adverſario certum, numquam is de concluſionis veritate convinci poterit. Univerſim nempe demonſtratio aliud non eſt, quam ſeries quædam, & colligatio propoſitionum eo fine facta, ut adverſarius admittat conſecutionem alicujus principii, aut veritatis a ſe jam admiſſæ, ex hoc autem evidenter patet, neceſſe eſſe, ut detur principium quodpiam ab ipſo admiſſum, atque adeo utri-

que concertantium commune. Sic Judæum convincere nequeo *ex libris novi teſtamenti tamquam divinis*, cum is eorum divinitatem neget; ſi quæſtio agitetur phyſica, requiritur, ut uterque in hoc conſentiat; *legitimum ſenſuum teſtimonium reſpui non poſſe*. Atque inde, quantum fieri poteſt, principia clariora, & notiora obſcurioribus præferri debent; utimur tamen quandoque etiam falſis, quæ adverſarius in veris habet, ſi modo cauſſa ex parte noſtra vera ſit, ac juſta; ſecus enim talium argumentorum uſus a fraudulentæ calliditatis nota abſolvi nequit: ſic *licet Mahometanum ex Alcorano de veritate religionis chriſtianæ convincere* (conf. §. 197. ſchol.). Patet vero ex his, eo difficiliorem fore concertationem, quo pauciora ſunt principia ab adverſario admiſſa; cum iis autem, qui nullum admittunt, diſputari nec debere, nec poſſe: ejuſmodi olim erant ſceptici, hodie ſcioli nonnulli, ac profani homines reconditæ doctrinæ laudem inde aucupantes, quod evidentia quoque magno verborum nihil ſignificantium apparatu in dubium, ut illi quidem ſibi perſuadent, vocare ſciant; qualia ſunt, quæ contra demonſtratam Dei, providentiæ, religioniſque revelatæ exſiſtentiam, ac immortalitatem animæ humanæ ore impio effutiunt.

4.) *Refutaturus alterius ſententiam vel ipſam immediate, vel principia, ex quibus eam adverſarius deducit, aggrediatur:* primum demonſtratione vel directa, vel indirecta confici poterit, idque verſando ſive circa ipſam ſententiam, ſive circa conſectarium clare tamen, ac legitime ex ea profluens: alterum vel ipſa principia refellendo, vel iis permiſſis oſtendendo, theſin ex iiſdem non legitime ſequi, atque adeo formæ vitium admiſſum fuiſſe.

5.) Qui

5.) *Qui in concertatione negativam tuetur partem, non tenetur aliam negationis ſuæ adferre rationem, quam quod adverſarii argumenta nihil probent*; id vero non obtinetur generalibus, dubiiſque reſponſis, ut aliquibus in more eſt: *forſitan potuit res aliter fieri; fortaſſe ſunt nonnulla, quæ ignoramus* &c. &c. ſed omnino neceſſe eſt, ut ea ſolide refellantur; ſic qui *negat ullam dari in compenetratione, & replicatione corporum contradictionem*, negationem ſuam exquiſitis rationibus conſtabilire non tenetur; tenetur tamen reſolvere adverſariorum argumenta, & planum facere, contradictiones omnes ab ipſis allatas apparentes ſolum, ac in ſe nullas eſſe.

6.) *Qui propoſitionem ſuam veram eſſe, aut oppoſitam, quam negat, impoſſibilem demonſtravit, prorſus ad nihil amplius tenetur*, nec prudenter cogi poteſt, ut reſpondeat objectiunculis, quæ a pertinacibus, & ſcepticis accumulari ſolent; quæ enim poſſunt rationes excogitari, quæ propoſitionem demonſtratam falſam eſſe, aut rem impoſſibilem reipſa dari evincant? Sic geometræ ſolliciti ſunt, num quid theorematis ab ipſis demonſtratis a rudibus opponi poſſit; ſic metaphyſicus, ubi exſiſtentiam Dei demonſtravit, non tenetur atheorum ſophiſmatibus reſpondere, niſi polluta eorum ora amplius obtundere velit.

CCXXXVI. Concertatio litteraria vel inter eruditos, doctoſque viros, & quidem potiſſimum ſcripto inter abſentes inſtituitur, vel eos inter, qui diſciplinis ſeverioribus in publicis collegiis operam navant: hæc inter præſentes, & ore fit. *Quotuplex concertatio?*

Coroll. Inde ſcripta *polemica*, ſive *eriſtica*, quæ vel de rebus ſolum ſcientificis, vel etiam ad religionem pertinentibus tractant, denominantur. Qualia continentur in *Récueil de di-*

verſ. piés. par Monſr. Leibnitz, Clarke; Nevvton, & autr. aut. cel.

Schol. Viris equidem eruditis nullæ videntur leges præſcribendæ; quia tamen nec eruditio ſemper a diſtortis animi motionibus ſejuncta eſt, quædam hoc loco utiliter monenda veniunt. Atque in primis quidem magnopere caveri debent ea vitia, quæ (§. 227. ſchol. n. 4.) allata ſunt; tum abſtinendum eſt ab iis argumentandi modis, qui ex odio magis, aut invidia, quam ſincero veritatis amore proficiſcuntur: cujus modi ſunt, ut Lockius obſervat.

Eſſai phil. conc. l'entend. hum. l. 4. ch. 17. §§. 19. &c.

1.) *Argumentum ad verecundiam*: cum acervatim congeruntur opiniones aliorum, qui vel ob inſignis doctrinæ, magnique ingenii famam, vel ob potentiam, aut muneris, quod ſuſtinent, dignitatem, publicum nomen, exiſtimationem, magnamque auctoritatem, ac quoddam quaſi in aliorum animos imperium adepti ſunt, ut adverſarius immenſo auctoritatis pondere in puncto quaſi temporis opprimatur, nec ultra hiſcere audeat. Sunt fere homines ita affecti, ut viro in dignitate conſtituto contradicere, ejuſque, quam jam poſſidet, auctoritatem in dubium vocare nefas eſſe putent; quare, ſi quis non continuo omni cum demiſſione ſe ſubmittat, ſententiiſque auctorum, qui ejuſmodi publica veneratione digni vulgo cenſentur, abſque maturo examine adſtipulari recuſet, jam is vanitatis, ignorantiæ, & pertinaciæ non tolerandæ reus habetur.

2.) *Argumentum ad ignorantiam*, quo utuntur ii, qui ad aliorum aſſenſum vi extorquendum poſtulant, ut adverſarius, cum rationem ab ipſis allatam admittere nolit, meliorem, firmioremque aſſignet: quaſi vero a me idcirco ſtet veritas, quod alter argumenta mea diſſolvere, aut aptius quidpiam in medium

dium adferre nequeat; quid ſi artifex a me operis ſui commendationem, aut præſtantiæ confeſſionem extundere vellet propterea, quod ego nec ſimile, nec concinnius aliud efficere poſſim? Non ambulat profecto alius ex eo ſolum capite rectum tramitem, quod ego meliorem non novi, nec minus iniquus in me foret is, qui eam ob cauſſam eumdem tenendi neceſſitatem mihi imponere vellet, cum fieri poſſit, ut & alter aberret, & ego errorem demonſtrare, aut melius quid invenire nequeam.

3.) *Argumentum ad hominem male applicatum;* equidem hoc argumentandi genus alias probavimus (§. 197. ſchol.), id tamen adverti velim; primum : nequaquam nobis eo uti licere, cum ipſi in mala verſamur cauſſa; hac enim ratione adverſarium non niſi ab uno errore ad alium traduceremus: deinde etſi illud ad convincendum admodum opportunum ſit, non tamen ad conſtituendum quidpiam per ſeſe ullam habet efficaciam; neque enim ex eo meæ opinioni veritas accedit, quod ea ex adverſarii principiis profluat, aut ipſa etiam illius confeſſione comprobetur, ſiquidem ego una cum ipſo errare poſſum; neque eadem opera, qua oſtendo adverſarium errare, ſimul evinco me ab errore immunem eſſe.

4.) Denique viri eruditi honori ſuo haudquaquam conſulunt, cum conſectaria diverſa non tam refutandi, quam calumniandi, odiumque, ac invidiam conciliandi animo ex adverſarii doctrina eruunt, eaque ipſi tamquam totidem dogmata ex propoſito propugnata attribuunt (conf. §. 227. ſchol. n. 3.). Id genus homines *conſequentiarios* appellare ſolemus, eorumque agendi ratio naturalibus mutuæ charitatis officiis repugnat.

CCXXXVII. Concertatio litteraria inter col- Quid

defendens, & oppugnans? collegiorum auditores ſive exercitationis ſolum, ſive ſpeciminis publice dandi cauſſa inſtituta requirit *defendentem*, ſeu illum, qui theſis a ſe propoſitæ veritatem contra adverſariorum objecta apte reſpondendo vindicat: tum *oppugnantem*, ſive eum, qui, dum adverſarii partes agit, eamdem poſitionem argumentis aptis vel refellere, vel certe impugnare nititur.

Quid ab iis obſervandum? SCHOL. Sunt nonnulla utrique; alia cuivis nominatim obſervanda, ut ejuſmodi concertatio ſuo fructu non careat.

1.) *Utrique*. Ne alterutra pars a ſcopo aberret, aut inania quærat diverticula, adhibeantur perpetuo ſyllogiſmi, niſi quando fuſiori dictorum explanatione opus eſt; ne vero inutiles, & ad rem non pertinentes accumulentur, tempus cuilibet argumento præfixum non nimis longum ſit. Vitentur deinde jurgia, clamores inconditi, calumniæ; permittatur ſuum cuique loquendi ſpatium, nec unus in alterius dicta inurbane involet; univerſim denique ſuo honori mutuo conſulant, defendens accommodando reſponſiones ita, ut argumentum in ordine procedat: oppugnans modeſte, neque nimium premendo; prorſus enim indecorum eſt; nec immerito auditoribus ſtomachum movet, cum defendens quæcumque præfracte negando eo ſolum tendit, ut adverſarium ex argumento, ut ajunt, ejiciat; & contra oppugnans magna doctrinæ ſuæ opinione inflatus ea, quæ diſcentium captum excedunt, importune urgendo defendentem obmuteſcere cogit.

2.) *Defendentis* munus eſt ſyllogiſmum quemvis propoſitum ad verbum e memoria reddere, atque ad ſingulas propoſitiones apte reſpondere, *negando* falſas; *concedendo* veras; *di-*

diſtinguendo ambiguas, aut æquivocas; *diſparem*, ubi opus fuerit, rationem aſſignando; huc non pertinentia *tranſmittendo*; tandem etiam, ſi res poſtulet, argumentum ipſum in adverſarium *retorquendo*. Præciſa tum hæc reſponſa fuſiori quandoque oratione explananda veniunt, præſertim ubi diſtinctio adhibita, aut diſparratio aſſignata fuerit. Univerſim vero in omni ejuſmodi explanatione ſit clarus, brevis, ea ſolum proferat, quæ ad rem præſentem faciunt, inutilia, aut huc non ſpectantia omittat; ex his enim manifeſtum fiet, eum non memoriam ſolum, ſed intellectum quoque excoluiſſe, neque vocabula tantum, diſtinctionumque formulas, ſed rem ipſam funditus perdidiciſſe.

3.) *Oppugnantis* eſt prudentem theſis impugnandæ ſelectionem facere, nec facile admodum evidentes aggredi; tum paret ſibi argumentum ordinatum, quod obtinetur, ſi primi ſyllogiſmi concluſio ſit contradictoria poſitionis oppugnandæ; in conſequentibus vero conſtanter inferatur propoſitio ultimo ab adverſario negata, & ſic a minoribus pedetentim ad majores difficultates ordine, & quaſi per gradus aſcendatur. Sint præterea ſyllogiſmi breves, ut commode a defendente *reſumi* queant; talia opponat, quæ a defendente ſciri & poſſunt, & debent, quo illius honori conſulat, atque ita, quæ objecerit, inter ſe apte connectat, ut ex altero alterum quodam modo profluat; abſtineat in argumenti decurſu a nimio clamore, ſtrepitu, ac ironicis quibuſdam urgendi formulis, quæ non ſerviunt niſi ad bilem movendam, nec videatur velle extorquere ab adverſario, ut ſe victum profiteatur; quin ſi victoriam ad ſe inclinare advertat, modeſto potius ſilentio finem diſputationi imponat, eo contentus, quod argumenti vim auditori præſenti, ac defendenti

ti ipſi detexerit, judicium ipſis relinquat; denique contra improviſa reſponſa accurata meditatione ſeſe antea præmuniat, nec facile quid proferat, quod neſciat extemplo probare. Cetera uſus docebit.

Hæc porro per decurſum hujus capitis allata ſi obſerventur, non erit, eur omnes generatim concertationes carpantur: habent eæ profecto utilitatem maximam; nam præter veritatis inventionem, quo quidem potiſſimum illa eruditorum diſceptatio contendit, ingenium acuunt; promtam cogitandi, eloquendique facultatem conciliant; judicium denique in diſcernendo vero a falſo roborant; cum enim in ipſo diſputationis fervore in omnem ſeſe partem mens vertere cogatur, ut commodam ſingulis objectis reſponſionem depromat, fit frequentiſſime, ut ea tum occurrant, quæ ſecus in mentem aut numquam, aut non niſi poſt diuturnam meditationem veniſſent. Nimiam tamen diſputandi libidinem non probo; ea enim non leve eſt promovendarum ſcientiarum impedimentum; homines non tam doctos, quam ſcepticos efficit, generatque pervicax quoddam contradicendi ſtudium, quo invaleſcente nulla doctrina adeo abſurda, adeo impia eſt, ut non aliquibus propugnatoribus glorietur. Id facile patebit, ſi ad ea mente redeamus tempora, *quibus* diviſum cum Ariſtotele imperium veterum ſophiſtarum reliquiæ tenuerunt; ſed hiſce nos malis eripuit Deus Optimus Maximus, cujus honoribus hunc qualemcumque laborem dicatum volo.

O. A. M. D. G. B. V. S. L. C. H.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

NOI

NOI RIFORMATORI

Dello Studio di Padova.

AVendo veduto per la Fede di Reviſione ed Approvazione del *P. F. Filippo Roſa Lanzi* Inquiſitor General del Santo Offizio di Venezia nel Libro Intitolato; *Sigiſmundi Storchenau in Academia Vindobonenſi Logic. & Metaph. Profeſſoris Publ. Ord. Inſtitutiones Logicæ. Stampato* non v' eſſer coſa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per Atteſtato del Segretario Noſtro, niente contro Principi, e buoni coſtumi, concediamo Licenza a *Franceſco Sanſoni* Stampator di Venezia che poſſi eſſere ſtampato, oſſervando gli ordini in materia di Stampe, e preſentando le ſolite Copie alle Pubbliche Librarie di Venezia, e di Padova.

Dat. li 17. Settembre 1773.

(*Andrea Querini* Riſ.

(*Franceſco Moroſini* 2. Cav. Proc. Riſ.

(*Sebaſtian Foſcarini* Cav. Riſ.

Regiſtrato in Libro a Carte 134. al num. 1123.

Davidde Marcheſini Segr.

Adi 22. Settembre 1773. Regiſtr. al Magiſtr. contro la Beſtemmia in Libro a carte 52.

Andrea Gratarol Segr.